CHRISTOPHORI
BESOLDI
J. C.
SYNOPSIS POLITICÆ
Doctrinæ.

ET

M. VVILHELMI Witzendorffs
Professoris Publici Regio-
montani

CIVILIS PRUDENTIA.

[illegible] Carmeli Montis Regii ex Legato [illegible] RD Joannis Chrysostomi Bedrunta S T et IVD Canonici 1628.

Complectens

ETHICAM,
OECONOMICAM,
&
POLITICAM.

REGIOMONTI,
Impens: MARTINI HALLERVORDII,
M. DC. XLII.

SYNOPSEOS Doctrinæ Politicæ Præcognita: ubi Politiæ, Politicesq; principia proponuntur.

CUM de Republicâ, & eâ, quæ circa illam versatur disciplinâ, nobis dissertatio sit instituta: non hoc ritè fieri posse videtur, nisi utriusq; principia altiùs repetantur.

2. Omnium autem disciplinarum complexum quendam, veteres statuerunt, easq; inter se invicem, talem communionem habere reputaverunt; ut ferè nulla perfectè sciri queat, nisi simul omnium, aliqualis saltem cognitio adsit.

3. Hicq; est decantatus ille disciplinarum orbis (quem *Encyclopædiam* vulgò vocant) methodicam, & talem singularem artium atque scientiarum proponens institutionem, ut unius cognitiò, ad aliam pariter viam sternat.

4. In cujuslibet verò disciplinæ traditione,

ne, operæ pretium est scire; quemnam in illo circulo, seu orbe locum obtineat ea, de quà tractatio est instituta?

5. Et porrò omnium disciplinarum, artium atq; scientiarum principia, conveniunt in eo: quòd nihil agitur in humanâ vitâ universâ, ut non *Boni* alicujus intuitu suscipiatur.

6. At, cùm hîc ab omnibus variè erretur (dûm scilicet, vel appetitus adparens, sed falsum Bonum; vel ad id quòd verè tale est, rectâ via non itur) scire idò maximè refert: quodnam, & quotuplex verum Bonum existat; ac item quâ ratione ad illud perveniatur?

7. Ipsa Bonitas (Idea nempe, fons & scaturigo Boni) *Deus* est Summum verò Hominis Bonum, non aliud reputari debet; quàm fruitio seu unio, & concordia cum Deo.

8. Ad hoc quidem Bonum, natura primæva & incorrupta, Adamum olim sponte suâ duxit: indeq; ad imaginem Dei conditus is pronunciatur, *Gen. cap. 1. vers. 26. & seq.* Et est imaginis conditio talis, ut semper similis sit prototypo: haud aliter, ac umbra in speculo adparens, cunctas lineas & colores corporis sui exactè refert.

9. Sed Bono illo, funesto Adami lapsu amis-

amiſſo, & indè *Morte*, præter naturam introductâ: omnes artes, ſcientiæ & diſciplinæ, eò unicè tendunt; id ut, quantum fieri poteſt, iterum recuperemus, quod generi humano univerſo, abſtulit primorum parentum caſus.

10. Ac quidem ad veri Boni fruitionem, mortisq́; æternæ abolitionem; viribus noſtris redire omninò nequimus. Quo & intuitu proditum videtur; Cherubim, & flammeum gladium, verſatilemque, cuſtodire viam ligni vitæ. *Gen.3. verſ. ult.*

11. Reparatum autem amiſſum illud Bonum nobis eſt, per *meritum* Domini & Salvatoris noſtri J*Eſu Chriſti*. Ac item ex divinâ revelatione, non induſtriâ ingenii humani, ejus rei cognitio in mundum pervenit.

12. Et errant ideò pernitioſiſſimum errorem omnes illi, qui Adamicum lapſum, & per eum (quaſi ex Pandoræ ciſtellâ) omnia mala, inprimisque *peccatum originale*, introductum eſſe negant: aut viribus propriis, non ſoli merito Chriſti attribuunt ſalutis reſtitutionem. Ut faciunt Ethnici, Saraceni, ac (qui injuriâ Chriſtianorum nomen adfectant) Pelagiani & Photiniani.

13. Eſt & inter eos, qui Chriſtum pro unico ſalutis noſtræ Auctore habent, de adplicatione meriti ejusdem, controverſia ma-

gna. Solâ namq; *Fide*, pro meriti illius participes nos reddi, putant reformati; Catholici etiam opera adjungunt. Illi itidem imputativam, hi inhærentem justitiam agnoscunt.

14. De eo certè utrinq; constat: sine Fide, nec opera existere salvifica, aut verè bona. Fidem item, justitiæ esse fundamentum: & Fidem quidem talem; quam nulla bona opera præcedunt, & ex quâ omnia procedunt: ut loquitur S. Prosper *lib. 3. de vitâ contemplativa, cap. 21.* Add. Concil. Tridentin. *session. 6. decreto de justificat. cap. 4. & seqq.* ac Christoph. Majer. Societat. Jesu, *in octo Fidei controversiis, controversia* (ubi initium salutis, non operibus, sed Fidei & gratiæ Agni adscribit: consummationem verò ejusdem, ex dilectione & ejus operibus æternâ mercede coronandis) esse ait.

15. Sed ut sublime, spirituale, & æternum hocce Bonum, quæq; ad id propriè spectant, *Theologiæ* constituunt objectum: ita adhuc aliud, multò tamen inferius est Bonum, in vitâ animali & temporali commodè degendâ consistens; circa quod *Philosophia*, aliæq; humanæ adinventiones, occupantur.

16. Humanum, seu philosophicum Bonum, duplex iterum est: Intellectus, & volunta-

luntatis. Ex quibus illud *Theoreticæ*, hoc *Practicæ* Philoſophiæ aſſignatur objectum. Utriusq; verò *Logica*, & ſimilia alia rationis Inſtrumenta, adminiculantur.

17. Ac licet nonnullæ diſciplinæ, artes atq; profeſſiones, Corporis principaliter intendant curam (ut eſt Medicina &c.) ac item aliæ quamplures, bona reſpiciant externa, vitæq; ſuſtentationem (ut eſt Jurisprudentia &c.) Eæ tamen, conſimilesq; cunctæ, Intellectum partim; partim principaliter occupant voluntatem. Et largitæ nobis ſunt à Deo, duæ modò dictæ facultates, ut etiam corpus, atque fortunas noſtras tueantur. Sicq; in generali ſupra propoſitâ Philoſophiæ diviſione; magis conſideratur quis agat, quàm circa quid verſetur.

18. Intellectus perfectionem intendunt, eumvè occupant inprimis; Metaphyſica, Matheſis, Phyſica &c. artes item ac ſtudia humana, quæ voluntatem non informant.

19. At voluntatem, ullius ſine certi ſtatus reſpectu, *Ethica* perficit. Eaq; civem inſtituit Mundanum; quales multi ex priſcis Philoſophis fuerunt: qui nec boni Oeconomi (ut Socrates) neq; Politici prudentes (ut Diogenes) ſed Cosmopolitæ, ſeu cives tantùm erant Mundi.

20. Domeſticum ſtatum inſtuit *Oecono-*

mia. Et ea ideò necessaria est, quia non sufficit scire generalem in mundo conservandi rationem: Sed & insuper necesse existit, ut noscamus Domum administrare; quæ sanè gubernatio, suas speciales habet rationes, Ethicæ subrogatas.

21. Verùm nec Ethice & Oeconomice, sufficientes reputantur. Sed quia homo sui naturâ, animal maximè sociale, ceu civile, eoq; fine conditus esse videtur, ut in cætu aliorum vivat, ac ut charitatem (quam statim, ac in hanc vitam intravit, expertus est) vicissim alijs impertiatur: meritò proindè Philosophus civilem communionem, (quam vulgò *Civitatem* vocant) rectè quoque instituere, cunctisq; in populo, intuitu cohabitationis, præcepta dare debet.

22. Sanè non omnis Vir bonus, vel industrius Pater familiàs, statim quoq; fit bonus Civis, multò minus Politicus bonus; ut nec omnis, qui se, domumq; suam regere potest, bonus est Miles, bonusvè equiso: Sed quædam etiam singularis dexteritas requiritur, in Reipublicæ administratione: quæ Virum quoq; optimũ, Oeconomumvè prudentem, latere potest. Et debet bonus Civis, non naturæ solùm, sed & Civitatis suæ leges, cognitas habere, iisque obedire.

23. Porrò Civitatem instituere, vel etiam quo-

quomodo ea ritè gubernetur, qui discere velit; is scire ante omnia debet, ejusdem finem, tùm media quoq;, ad illum quæ ducunt.

24. Et communio quidem Civilis, *duos fines* habet, (1) *publicam salutem* & (2) *publicam honestatem:* in hisq; consistit *Felicitas Civilis.* Exinde namque ἀυτάρκεια provenit plerunq;, seu abundantia omnium rerum.

25. Licet verò ea rerum copia haut adsit, (si putà hostis potens, vel aliud publicum ingruat malum) fælix seu beata nihilominus Civitas est censenda, illos modò dictos duos fines, si Cives assequi conetur: ferè item semper, post calamitates etiam magnas, lætus subsequitur eventus, ubi studium commodi publici, honestatisq; non langvet.

26. Juncti autem debent esse illi fines: nec sufficit publicum commodum procurari; sed & insuper est necesse, ut honestas minimè negligatur. Ac proinde barbaræ illæ nationes habentur, ubi etiam contra leges honestatis, publicum commodum promovetur; quod in Turcià & alibi etiam fit: & talia ideò Imperia, nec vicini, neq; item Cives, nisi plane servilis ingenii existant: ferre queunt.

27. Consequitur hinc, nimis forsan sublimiter loqui, & quasi de genere transcendere in genus; qui vel contemplationem, vel

vel etiam Religionem finem constituunt Civitatis, ita nempe in genere dictæ: nam certè Civitas Christiana, unicè illùc tendit, ut foveatur & nutriatur Ecclesia Sancta. Sed nihilominus (vel ipso Salvatoris nostri scitu, *Matth. c. 22. v. 21. &c.*) nomen & jura Civitatis habebat omninò, etiam Idololatrica Roma, & cùm Religio vera ibi vel ignorabatur, vel opprimebatur. Hocq; idem de consimilibus, tàm antiquis, quàm modernis populis, pronunciandum esse videtur: quòd scil. eis propter erroneum Dei cultum, jura gentium non sint deneganda.

28. Religio vera, perficit quidem, magisq; illustrat Civitatem: attamen si quis accuratè rem perpendat; Hominis, non Civitatis finem eam esse, fateri cogetur. Namq; alias introducendæ, conservandæq; Religionis media ratio Civilis suppeditaret; & cura Divini cultus, propriè ad Imperium spectaret, & Ecclesia ac Civitas, non satis distingverentur.

29. At verò Civilis Felicitatis, finiumq; Civitatis *causa instrumentalis mediumq;* ad illas perveniendi, esse videtur; Πολιτεία, seu *Respublica*, aut administratio Civilis. Quæ quasi anima est Civitatis, & spiritus ille vitalis, quem tot millia trahunt.

30. Quod enim Anima, habentibus vitam

tam, hoc idem inanimatis præſtat Harmonia; in corpore verò politico, ſeu Civitate, efficit recta adminiſtratio, & concordia omnium illius membrorum.

31. Harmonica autem illa concordia Civitatis; conſiſtit in Imperii & ſubjectionis rectâ ordinatione. Cujus conſectarium eſt; regere atq; ſubjici, Naturæ omninò conſentaneum eſſe. Adeò, ut in ſtatu primævo, ſeu integritatis quem vocant, etiam futura fuiſſet Reipublicæ quædam forma; eò ſaltem directa, ut transgreſſionem inhiberet. Et quoque poſt lapſum, omnes Gentes ratione utentes, cuncta per ſecula, agnoverint Imperium quoddam.

32. Nihil itaque periculoſius reputandum eſt, eâ opinione, quâ quidam Imperia tollendo, aut vituperando; Anarchiam, & per eam, omnium rerum confuſionem inducunt, ipſâ Tyrannide deteriorem. Eſtq; Anarchia omnem contra naturam: quia contradicit harmoniæ. Et Anabaptiſtæ, qui Imperia deteſtantur, perperàm in ejus locum Oeconomicum ſubſtituunt ſtatum: ad cujus quidem normam Domus aut Monaſterium, multitudo verò regi omninò nequit.

33. Errant ſimiliter ij, qui Imperia â Deo irato proficiſci, meriq; Juris poſitivi (ſeu inventum humanum) eſſe: cuncta item violen-

tum initium habuisse; Magistratumve, à Christiano illæsâ conscientiâ, geri non posse assertant.

34. Sunt equidem imperia nonnulla, à Deo irato, *Osea c.13.vers. 11.* quæ nempe haud procurant subditorum commoditatem, aut devictis Provinciis imponuntur: ac sunt pariter Regna multa, quæ sortita sunt ortum præternaturalem. Sed tamen ex eo evinci minimè potest; Imperia ex, & perse, maledictiones, ac contra naturam esse. Nam & Matrimonia, haut raro per raptus, philtra, aliosq; illicitos modos conciliantur; & sæpiùs plus tormenti, quam adjutorii adferre solent: quæ tamen nemo non legi naturali adscribit.

35. Et potest itidem, in Magistratu esse Christianus: non quippe eo fine Salvator noster venit, ut Imperia, ac si quæ alia naturæ, rectæq; rationi convenientia sunt, tollat; sed ut mundet ac perficiat ea cuncta.

36. At cùm per Imperium Civitas, seu Politicum corpus quasi animetur: inde sequitur, non alium Imperii esse finem, quàm qui ipsi Civitati est præfixus; pariter ut anima conservat, haud destruit suum corpus.

37. Sicq; Imperii, & imperantium scopus non alius esse debet, quàm institutio & con-

conservatio Civilis societatis; ac propagatio, suprà *num. 24.* indigitati finis: minimè verò Regentium commodum eorumvè utilitas, ac affectus privati. Et ita, aliud Imperium, aliud Dominium; Rexq; director magis, quàm Dominus existit: aliàs enim abutendi etiam potestate polleret. *arg. lib. 21. C. mandat.*

38. Respublicæ, hominum plurium, ac rerùm privatarum, tùm inter se communium; summâ cum potestate & ratione gubernatio, definiri commodè potest.

39. Hominum & rerum gubernationem, eam esse, ideò dixi: quia sine populi multitudine, ut & absq; publicis ac privatis rebus esse nequit. Requiritur etiam, ut ibi summa sit potestas: illa namq; si desit, membrum non corpus; & Provincia haut Respublica vocari meretur.

40. Non itaq; unam Rempublicam faciunt, Confœderationes duorum vel plurium Imperiorum; quia ferè perpetuæ non sunt: ac etiam si quæ tales inveniuntur, non tamen sibi invicem subjiciuntur; sed utrinque retinent libertatem suam illibatam. Quod in Hanseaticis, ac etiam Helveticis Civitatibus videre licet.

41. Ut & Regna plura, ab uno licet admini-

ministrentur; quemadmodum facit Rex Hispaniarum: non tamen pro unâ Republicâ sunt habenda; nisi verè uniantur, ut nunc Anglia & Scotia, Dania & Norwegia existũt.

42. At porrò, Reipublicæ administrandæ scire rationem (æquè ac cognitio artium, & disciplinarum aliarum) cumprimis indigere videtur doctrinâ & institutione.

43. Et prudentia illa artificiosa, quæ de politica judicat εὐταξίᾳ, eamq; in Civitatem inducit, *Politice* vulgò vocatur: Princeps & Domina quæ est reliquarum facultatum, atq; scientiarum; omnibus quia leges dat. Reipublicæ suæ prudenter accommodatas, easq; architectonicè disponit.

44. Huic (ferè ut Physicæ Medicina) ipsa *Jurisprudentia* subordinatur: quæ puta leges non interpretatur solùm, sed & facto applicat, secundum æquitatem.

45 Hâcq; Civili prudentiâ qui præditi sunt, *Politici* vocari merentur. Minimè autem ardeliones illi, qui omnium horarum homines esse volunt: & qui hodiè eâ sub larvâ latitantes, Orbem Christianum nimiò onere gravant, omniaq; Imperia turbant; & tandem atheismum inducunt.

46. Politicen qui commodâ methodo tradere velit: cognito objecto (quod est Civitas, politiâ seu Republicâ informata) ejusq; fine

fine (de quo jam modo actum est *supra*) edocere porrò debet, Civitatis Constitutionem, Conservationem, Augmentationem; ac item illius Conversionem, & morbos, eorumquê curationem.

LIBER PRIMUS Politicorum:

De Civitatis constitutione tractans.

CONstituitur Civitas, ac Politicum illud corpus, ex partibus principalioribus duabus. *Imperantibus* scilic. qui capitis (ubi præcipua, & gubernans animæ vis, sedem fixisse reputatur) ac *Subjectis*; qui reliquorum membrorum obtinent rationem.

2. Doctrina ergò de Civitatis constitutione, circa hoc inprimis est occupata: ut exactè cognoscatur, quid Juris habeant tàm subditi, quàm Imperantes; ac quisnam eorum erga se invicem debeat esse respectus, tàm suæ personæ, quàm rerum ipsis subservientium ratione.

3. Imperium insuper, non simpliciter tantùm & per se; nullo habito respectu, apud

pud quem fiet: Sed & intuitu numeri Imperantium, conſiderari debet.

CAPUT I.

De

Majeſtate in genere.

IMperium in Republicâ ſummum, vulgò & propriè *Majeſtatem*; à Magnitudine aut major quod ſit ſtatus. Et competit ea ſolùm iis, qui ſuperiorem, nec intra, nec extra ſuum territorium agnoſcunt: cæterorum (Vaſallorum putà, Gubernatorum &c.) poteſtas utcunq; magna, amplitudinem nominis hujus haut æquare videtur.

2. Eſtq; Majeſtas vel Realis, vel Perſonalis.

3. Realis (quæ & Imperii Majeſtas nominari ſolet) Reipublicæ competit (conveniens etenim eſt; ipſam & totum Politicum Corpus, ſingularia jura habere; æquè ac Perſonam, quæ Rempublicam regit) eiq; eſt coæva.

4. Spectat ergò Majeſtas Realis ad Reipublicæ conſtitutionem: eamq; comprehendunt leges Fundamentales; ſub quibus ſcil. Respubl. eſt conſtituta, & cui etiam Imperantis Majeſtas, obſtricta cenſetur. Cùm nempe mini-

minimè par sit, Personæ alicui, talem competere potestatem, quæ statum, formamvè Reipublicæ evertere queat.

5. Estq; hæc obstrictio non subjectiva, sed conservativa: quemadmodum etiam homo, non minùs potens aut liber est, quod seipsum occidere non potest, quodq; suorum membrorum Dominus haut reputatur. Et indè pariter Rex dicitur homicidia suæ dignitatis, si quid contra leges Fundamentales agat.

6. Realis autem Majestas non comprehendit Jus Publicum universum; sed solùm consistit in eo, cui principaliter innititur ipse status: ut Regnum v. gr. sit successorium, vel Electivum, ut de Dominio nihil alienetur &c.

7. Hæcq; sublata minimè fuit in Republicâ Romanâ, ex quo illa transiit in Monarchiam, *arg. lib. 1. §. 1. ff. ad L. Jul. Majestat.* Durante verò Democratiâ, in eo conspiciebatur, quòd plebs potuit abolere jura Patriciorum, atq; Senatus &c.

8. Et ita Majestas hæcce concernit totum Politicum corpus, in eaq; singuli etiam, jus quoddam habere, & item illa ad Dominium magis, quàm ad administrationem Civitatis pertinere videtur.

9. Majestas *Personalis*, in Personam confertur, ac respicit administrationem. Hæcq;

item invenitur in Democratiâ: quia populus ſimul ſumptus, perſona eſt quædam ficta.

10. Ac licet Leges Fundamẽtales, quandoquidem etiam agant de adminiſtratione, & Principis vel Regis limitent poteſtatem: attamen eæ tunc ad Reipublicæ ſpectant formationem, & ſtatum efficiunt mixtum; de quo *infra* ſuo loco.

11. Definitur verò Majeſtas Perſonalis, ſumma & perpetua, legibusq; ſoluta poteſtas: competens in res & perſonas ſuæ ditionis, vel inibi exiſtentes.

12. *Summa* eſt, quia non ab alio, ſed immediatè à Deo dependet; ejusq; vices hiſce in terris gerit, & nec alium, niſi Deum & gladium recognoſcit. Quamvis enim Populus olim Auguſtis, & noſtris Imperatoribus, Electores conferant Regnum; hi tamen ſolùm ſunt cauſa inſtrumentalis: nec Princeps tanquam aliquod Feudum à Populo Imperium habet; ſed Populus privativè, transfert ſuam poteſtatem in Imperatorem.

13. Hæcq; ideò ſacroſancta in Jure noſtro appelatur; inibiq; Imperator, Sacratiſſimus indigitatur. Et nos etiam hodiè Imperium Romanum *ſanctum* (das heilig Römiſch Reich), non ſolùm quod inviolabile ſit, ſed & ut à Deo ordinatum, & ab eo immediatè dependens vocare ſolemus. Ac indè itidem ex

Dei

Dei gratiâ, von GOttes Gnaden/ se regnare profitententur Principes absoluti; eamquè inscriptionem, Germaniæ Magnates, ex beneficio & permissione Cæsaris, non jure proprio usurpant.

14. Quòd autem Majestas in suo territorio potestas quædam existit summa; exinde etiam Catholici plerīq; concludunt: nec quoq; Pontificem Max. talem habere temporalem potestatem, à quâ dependeat Imperium omnium Rerumpublicarum in orbe Christiano, videatur Bellarmin. *lib. 5. de Pontif. per discurs. præsertim cap 2. & seqq.*

15. Idcircò eundem; Jurisdictionem Cæsari, Regivè alicui tribuendi aut adimendi, vel Jus aliquod superioritatis in illos exercendi, habere potestatem, absonum videtur.

16. Verùm id limitat Bellarminus *d. l. 5. c. 6. & seqq.* in principibus Christianis, Pontificem Roman. pro Ecclesiæ Capite qui agnoscunt; si id necessarium sit ad animarum salutem. Tuncq; ei, tanquam communi Pastori directivam competere, ait potestatem: & ita absolvere à Juramento subditos posse, si Rex quidam Catholicus, fiat Ethnicus, seu infidelis, atheus &c.

17. De his autem, similibusq; controversiis, jam olim inter Pontifices Romanos, & Germanicos Imperatores: Heinricum IV. &

V. Fridericum I. ac II. Ludovicum IV, &c. Bella fuerunt admodùm cruenta: eaq; occaſionem dediſſe videntur incrementis Saracenorum. Litesq; illas, magnâ ex parte reaſſumpſit Reſpublica Venata & Eccleſia Gallicana.

18. Itidem Imperatores moderni, licet quartæ & ultimæ, à Prophetâ Daniele, prædictæ Monarchiæ capita exiſtant; & Imperii Romani Jura reſideant apud eosdem: non tamen univerſi Mundi Domini ſunt; nec eis de jure omnia in Mundo Imperia ſubdita videntur, etiam quæ Romanis quondam paruerunt.

19. Et ita committitur Majeſtatis crimen, non tantùm adverſus Imperatorem Romanum; ſed & adverſus Rempublicam quamcunq;, ſuperiorem non recognoſcentem. Non quidem ex Juliâ Lege; Sed Jure Gentibus communi, quod cujuslibet Imperanti Majeſtatem tuetur.

40. Pariter, quia Majeſtas ſummum cenſetur in Republicâ Jus: inde illa reliquarum poteſtatum omnium, omnisq; Imperii atque Jurisdictionis in Republicâ fons eſt & ſcaturigo. Sola ea Imperium merum; Magiſtratus ab illâ conſtituti, ejus tantummodo exercitium habent. Ex eâ, tanquàm pelago, omnis Politicæ poteſtatis (quemadmodum e

mai

mari fluvii cuncti) per Delegationes, Commissiones, Ordinationes, Investituras &c. oritur Jurisdictio Magistratuum subalternatorum: ad eandem quoq; redeunt per avocationes, Appellationes, supplicationes, Revisiones &c.

21. Majestate item superveniente, nullus Magistratus jurisdictionem suam retinet non impeditam: sed quemadmodum ex oriente sole, stellæ aliæ cunctæ, conticescunt. Nisi quod hoc fallere dicunt eo in casu, ubi per Infundationem, aliumvè Contractum est irrevocabiliter, alicui à superiore, Imperium est concessum.

22. Et porrò etiam Majestas, ab aliorum Magistratuum auctoritate & potestate, longè est diversa, totoq; genere differt. Ita ut Princeps summus, haut rectè nominetur Magistratus: Pariter, ut unitas numerus non est; & mare perperàm fluvius, ac Populus liberæ Reipubliæ, impropriè admodum Magistratus vocaretur.

23. Insuper Majestatem, dixi *Perpetuam* esse potestatem: quia cui summa potestas committitur ad tempus, vel ad certas res gerendas, non is Rex, sed summus est dicendus Magistratus; cùm talis propriè vocetur, qui à superiore concessum Imperium habet.

24. Sicq; olim in Republ. Romanâ Di-

ctator, & hodie Dux Genuenſis, & liberis in Rebuspubl. præcipui Officiales: aut inibi, vel etiam in Monarchiis, Duces Belli. In Imperio Germanico Vicarii, mortuo Imperatore; aut etiam Adminiſtratores, ſive Curatores, Rege vel Principe exiſtente minore, aut furore &c. laborante: quia hi omnes perpetuâ poteſtate deſtituuntur. Reges item Romanorum, vivente Cæſare electi; omnesquè adminiſtrationem, haut jus ipſum aut dignitatem, non poteſtatem habentes (ut quoque ſunt Veneti Duces) verâ Majeſtate carent.

25. Tandem quoque Imperium Summum, etiam *Legibus eſt ſolutum.* Quod ut intelligatur, obſervari debet: iis, penes quos eſt Majeſtas duplicem tribui poteſtatem: ordinariam ſcilicet, Legibusq; conformem & extraordinariam, ſeu Legibus liberatam.

26. Ordinariam ſecundum poteſtatem, Majeſtas Legibus omnibus, regulariter ſubmiſſa eſſe cenſetur: cùm quippe Legibus vivere debeat Princeps: niſi quod ſolennia juris, Majeſtatem non obſtringunt, eaq; ordinario etiam jure, quædam præ aliis Privilegia habet (ut & Nobiles, Mulieres, Doctores &c) quæ ſemper uſurpat.

27. Illa autem Privilegia, multis modis differunt à poteſtate abſolutâ. Auguſta nempe &

pe & liberi Imperatorum, ea Privilegia, sed non potestatem absolutam habent: Hùcque pertinet Privilegia Fisci, & Domus Augustæ quodq; Testamenta Regia valent, absq; Juris Civilis solennitate; quòd Donationes subsistunt absq; insinuatione, & si quæ aliæ similes prærogativæ, Principibus summis adscribuntur.

28. Sed cùm quandoq; tales incidant casus, ubi Majestate qui præditi sunt, Leges si observarent, perperam Rempublicam administrarent: Pariter ut Nauta, fluctibus sese cogitur accommodare, iisq; coactus, non secundum regulam certam, remos, velaq; dirigere, interdum necesse habet. Ac quemadmodum Paterfamilias, Pastor, Pugil &c. non secundum regulas, sed prout subitanea accidentia ferunt, officia exercent sua. Ita secundum extraordinariam potestatem, Leges negligere Civiles omnes, & quoq; Jus Naturale seu Gentium, pro arbitrio prudenti, limitare, determinare, & secundum æquitatem, rectamque rationem, Majestas applicare potest.

29. Verùm libera hæcce potestas, minimè pro licentiâ quidvis impunè faciendi, sumi debet: sed & tantummodò (Jure positivo neglecto) reditus ad terminos, meri Naturalis, Gentiumq; juris, & liberæ rationis.

30. Hujus ideoque Juris extraordinarii forma est: statuere bono publico, contra jus commune, ac etiam contra privatorum utilitatem, ut totum conservetur; sed non contra conscientiam vel honestatem lubitumvè licentiosum.

31. Proindè extraordinaria hæcce potestas, aliter non usurpanda; nisi necessitas, aut publica salus id velit, aut Majestatis, vel Clementiæ (sine alicujns præjudicio) ostentandæ ergò: nec jus est Majestati, hunc extra casum, plenitudine potestatis uti. Summa namq; impotentia est, peccare, vel peccare posse. Ac licet is, qui Majestate præpollet, si delinqueat, haut puniatur; sed tamen non jure delinquit. De facto etiam licenter vivere & imperare Majestas potest: verùm & subditus, si vitam propriam contemnat, nec peccare vereatur, Magistratus sui vitæ Dominus existit.

32. Ex quo consequitur, Jus Regium Samuelis, vel in extremâ demùm necessitate usurpandum: vel ad mores ac consvetudines pravas Regum Vicinorum, referendum esse. Quarum scil. relatione Populus fuerit dehortatus, ne pergeret urgere Regis electionem. Quemadmodum etiam de Machiovelli Principe, Alberic. Gentil, *in suo Legato* conje-

conjectat, eum in detestationem Principatus fuisse scriptum.

33. Sicq; Majestas sine causâ, hoc est, publico commodo non svadente; Civibus res suas, earumq; dominium. aut etiam commodum ex Jure Civili descendens auferre, vel subditorum bora usurpare nequit. Id quod historia de vineâ Nabothi *3. Reg. cap. 21.* edocet præclarè.

34. Quin & communiter Juris Interpretes tradunt: Principem, vel alium præditum Majestate, subditos re vel Dominio, aut alio jure suo, privare non posse, sine recompensâ saltem ex collatione concivium colligendâ; nisi aliud quid Pacis gratiâ fiat, quando cum hoste tractatur, belli finiendi causâ.

35. Ac item Princeps, Contractibus, ut alius quivis privatus, obligatur: cùm pacta & conventiones servare, Juris sit naturalis. Sed tamen ille, si læsus vel deceptus sit, tali vinculo per dispensationem liberare se potest (cum gaudere videatur ex parte juribus Minorum) quod aliquod ante annos fecit Philippus II. Hispaniæ Rex, Genuensium Mercatorum nimiis usuris prægravatus.

36. Nec tandem solius Principis testimonium, omni exceptione majus est; nisi ratione officii aliquid attestetur (ubi etiam inferiorum Magistratuum subscriptiones & sigilla, plenam

plenam merentur fidem) Non ſi ut principatus deponat: quam ob cauſam Parlamentum olim Parienſe, noluit aliquem condemnare, unius Regis teſtimonio convictum.

CAPUT II.

De

Juribus quæ Majeſtati competunt in Eccleſiâ, Eccleſiaſticis rebusq;

MAjeſtas, Imperiumq; ſummum, etſi pateat tàm latè, quàm latè ejusdem cura & officium ſe extendit; ejus tamen vis omnis, res vel *Eccleſiaſticas* vel *Civiles* concernit.

2. Et verò, *Eccleſiaſticas* quod attinet res; quatenus eæ pertineant ad Politicam Majeſtatem, anceps ac etiam periculoſa quæſtio eſt: cùm eà de re, non ſolùm Catholici à Proteſtantibus diſſentiant inprimis; ſed nec ipſi Catholici inter ſe conveniunt planè: aliudq; Sorbonici & Veneti Theologi, aliud alii hac de re tradunt. Pariter, ut quoq; ii, qui à Romanâ Eccleſiâ ſeceſſionem fecerunt, ſibi invicem hac in parte variè contradicunt (ut in primis edocent Puritanorum & Anglicæ Eccleſiæ lites) multisq; in locis, aliud in ſcriptis traditur,

tur, aliud in usu habetur. Mihi: hîc sine præjudicio cujusvis, relatorem magis, quàm decisorem agere placet.

3. Ac quidem Magistratus Civilis, custos est Decalogi Tabulæ utriusq;; vitia nempè morum, etiam contra primam Tabulam commissa: blasphemiam putà, Magiam, atheismum, & similia Crimina, prohibere, punireq; debet: quę ideò mixti Fori indigitantur.

4. Porrò quoq; potestas secularis, Personas & Bona Ecclesiastica, aliquo modo sub Imperio suo habet; non quatenus sacra, & ita nullius sunt, sed quatenus adhùc in Republicâ existunt, & ad Politicum ordinantur finem, ac etiam defensionem & alia commoda percipiunt exindè.

5. Proindè exemptiones, immunitatesque Clericorum, & ad Ecclesiam spectantium Bonorum; jure positivo introductas, ac ex Privilegio non mero Divino jure competere: ideoq; in ejus esse potestate, cui Imperium est summum, censent nonnulli. Indeq; nonnullis in casibus tributis & collectis onerantur.

6. Hucq; pertinent illæ quæstiones: An Politicus Magistratus punire possit Clericos & Religiosos; graviorum præsertim criminum reos: An requiratur ejusdem Magistratus consensus, si Ecclesiæ novæ sint ædifican-

dæ

dæ: noviq; ordines introducendi? An idem prohibere possit, ne ad Ecclesias perveniant immobilia bona &c. Quarum omnium affirmativam, defendunt Veneti, & prætensæ libertatis Ecclesiæ Gallicanæ defensores.

7. Omnem insuper Religionis & Ecclesiasticæ potestatis usum, in præjudicium legitimè constitutæ Reipublicæ tendentem; Imperium Politicum rectè tollit. Hucq; pertinent in Galliis *les appellations comme d' abus* vocitatæ.

8. At verò ipsa Religio, cultusq; Religiosus, minimè est in Majestate præditi administratione; cum peculiaris sit Ecclesiasticus ordo, à Politico & Oeconomico distinctus: neque propriatim Imperii vi, Ordinatio seu Regimen Ecclesiæ, Ecclesiasticiq; Ministerii, illi competere videtur.

9. Hincq; patescit; Principes ac alios Imperii Romano-Germanici status, qui nunc (postquam per pacem Religiosam, suspensa est potestas Episcoporum) in territoriis Augustanæ Confessionis, Ecclesiasticam Jurisdictionem exercent; non eam jure proprio, sed ferè ut depositum habere: nec proindè ex arbitratu & gratiosè, sed strictissimè secundum scita Ecclesiastica, eandem administrare debere.

10. Et quod hodiè Germanici Fori Practicis

ctis pro Maxima est: Religionis immutationem, sequelam esse territorialis Jurisdictionis. Id Pacis tantùm gratiâ ita est introductum; non quod ipso jure hoc fieri debuisset: aliàs enim non hoc ad duas solùm restrictum esset; sed Domini Territoriorum, quamcunque libet, fovere possent confessionem.

11. Corruit ergò dogma Anglicanum; quod Regem, & quemlibet Magistratum superiorem, caput Ecclesiæ suæ esse urget.

12. Non tamen Anabaptistarum, & Puritanis attributa sententia, consistere potest: qui volunt, Ecclesiam Democraticâ ratione esse gubernandam.

13. Nolunt item concedere prætensi Reformati, Ecclesiam constare ex Clericis solis, ejusq; caput Monarchicum, Pontificem esse Romanum.

14. Sed potiùs, quia Ecclesia (ex sententiâ eorum, qui à Pontifice Romano secesserunt) aristocraticè gubernanda est; & ii, qui Majestate pollent, ejus membra præcipua censentur; ac item, cùm omnia ordinatè in Ecclesiâ fieri deceat: Magistarus ideò Civilis, & præsertim summus, nutritius defensor ac Protector est Ecclesiæ, Ecclesiasticæq; disciplinæ; ac quoq; id quod una cum Ecclesiâ sancit, exequi debet.

15. Sicq;

15. Sicq; in Codice & Novellis, multæ sunt legislationes, directè Religionem concernentes: putà de summâ Trinitate, de Hæredicis & Manichæis &c. quæ priùs in conciliis deliberatæ, & postea ab Imperatoribus, tanquam executoribus, promulgatæ fuerunt.

16. Exindè porrò jus vocandi Ministros, haut Magistratui soli, neq; etiam populo soli, & neq; Episcopis solis; sed Ecclesiæ toti competere videtur. Interdum tamen hac ex parte aliquantum eminet Majestatis potestas: ipsi ex pacto, vel alio modo concessa. Sicq; Principes Augustanæ Confessionis habent quidem jus vocandi Pastores, quia ipsis Ecclesia sui territorii concessit. Verùm hoc ab ipsorum non dependere nutu, sed per Consistoria, ritè constituta, expediri debet.

17. Sed alibi etiam hujusmodi expeditiones in Aulis pertractantur; & Principibus simul Episcopalis Jurisdictio adscribi solet. Quod ferè concidit cum dogmate illo Anglicano, cujus supra *numero 11.* feci mentionem.

18. Pariter in concilio Nationali, seu synodo Provinciali, aliisq; similibus extraordinariis conventibus Ecclesiasticis; præsidet is, qui eo loci imperat cum Majestate: Conciliorum verò generalium, Præses esse debet Imperator; Directionis nimirum & executionis

tionis respectu. Catholici verò, Pontificem Romanum, non solum Præsidem, & quidem cum absolutâ potestate Conciliorum, sed & iisdem superiorem esse assertant. Cujus tamen contrarium Constantiæ & Basileæ approbatum fuit.

19. Consequitur insuper: ad Principis, aliorumq; Magistratuum secularium curam spectare, Judicia constituere Ecclesiastica ordinaria, quæ Ecclesiasticam, seu Episcopalem exerceant Jurisdictionem: & nimirùm de Matrimonialibus, aliisq; Ecclesiasticis causis, Jus dicant.

20. Hæcq;, Principem non absolutè, sed potiùs Ecclesiam, seu presbyterium referre videntur. Quodq; lites Matrimoniales & similes aliam rationem habeant, quàm merè Civiles: apparet vel ex eo, quia Salvator noster, ad mortem condemnare noluit adulteram, renuit etiam Divisor esse hæreditatis; & tamen de matrimonialibus causis, interrogatus respondit, legesq; sancivit.

21. Itidem Magistratus Christianus summus, unà cum Ecclesiâ, Religionis tueri veritatem, hæreses & dissensiones præcavere atq; tollere potest. Sed tamen hîc media alia caveat adhibere, quàm quæ suis Apostolis præmonstravit Salvator noster, aut Primitiva Ecclesia usurpavit.

22. Præterea, si res, aut prædia Ecclesiastica, ad superstitiosum destinata sint cultum; ea Imperantes ad alios pios usus conferre; minime verò (utpote res alienas Deoq; semel consecratas) suæ Cameræ, usibusve privatis adplicare queunt. Atq; aliter qui faciunt, magnam attrahere videntur fundo suo calamitatem.

23. Non præter rationem autem, tàm in reformandâ, quàm in conservandâ Religione, violentiam & imperium in conscientias detestantur pleriq; Protestantes. Ac idcircò Hæretici, nisi simul politici turbatores, vix morte vel aliâ corporali pœnâ (sed exilio solùm) affici queunt: cum ignorantes peccent, seq; Deo officium perquam gratum præstare putent, doloq; careant malo; quod de aliis, Civilia crimina perpetrantibus dici nequit. Nec tamen rejicienda est distinctio Becani, qui *in pr. Manualis controversiar.* aliter cum pertinacibus dolosis, aliter cum Zelosis, aliter cum dubitantibus Hæreticis, agendum esse putat.

24. Qin & in Pace Religiosâ Germanico-Romanâ, jus emigrandi minimè ad necessitatem restringi debere, putant multi, licet ferè praxi; omnium locorum (non prorsus absone) repugnet.

25. Sed quoq;, dùm hæreseos malum, iis,

iis, quæ Christus præmonstravit remediis mutari nequit; tolerari potest Religionum varietas diversusq; Dei cultus. Sicq; in Germaniâ nostra, firmũ robur habet Pax Religiosa.

26. At verò, si quis vicinus, intuitu Religionis, Imperio vicino moveret bellum; nil impedire videtur; eo in casu, armis quoque defendere Religionem, Magistratus namq; Christianus gladium gerit eo fine, ut suos contra vim omnem defendat.

CAPUT III.

De
Variis Politicis Juribus Majestatis.

MAjestatis merè Politica potestas, in eo potissimùm consistit: ut Imperio universali Rempublicam animet, & administret universam, in harmoniamq; & cõcordiam reducat numerum subditorum, ut cunque magnum.

2. Eamq; suam potestatem, cùm pro diversitate objecti exerat quoque non unò modo: indè certa quædam Regia, seu *Majestatica Jura*, Potestati summæ attribuuntur. Quæ ideò nihil aliud sunt, quàm exercitia absolutæ & summæ potestatis, respectu rerum diversarum, quæ in Reipublicæ administratione occurrunt.

3. Sicq; Majestas, ut legum vinculo est liberata: ita subditos omnes, sanctionum nexu obstringit, & ad metam Civilis societatis, vel ducit vel trahit. Summa namq; potestas, ininfimam & universalem requirit obedientiam seu subjectionem.

4. Manu proinde Regiâ (ut olim factũ) Rempublicam gubernare, vel sancire Leges, quibus subditi universi ac singuli obstringantur; Leges item mutare veteres (tàm suas quàm Antecessoris: cujus utpote imperium, cum morte expiravit) & condere novas; primum ac præcipuum Majestatis Civilis habetur attributum.

5. Et ut Leges generales fert Majestas; sic ejus itidem est, Jus singulare, vel Privilegia dare. Quæ nempè sunt in Imperantis potestate, eaq; (ratione præsertim illarum cessante) mutare vel adimere potest: cùm precariò tantùm concessa videantur. Et aliud ergò est, si transierint in vim contractus (aut donationis, *arg. c. decet. 16. d. R. l. in 6.*) vel Juramento fuerint confirmata; qualia ab Israelitis impetraverunt Gibeonitæ, ac quæ id eò non impunè violavit Saul, etiam sub prætextu satis specioso.

6. Pertinet quoq; ad Imperium summũ, Homagio obstringere cunctos, ad observantiam Legum, & fidelitatem, nullo excepto

præ-

præstandam: Huldigung vnd Landospflicht erfordern: eoq; intuitu, Homo interdum pro subdito usurpatur. Ac si cui Principi inferiori, tale Juramentum præstatur; semper exceptus est, omnium superioris respectus.

7. Custodiæ Legum, earumq; executionis faciendæ gratiâ, constituitur Magistratus: ideoq; Magistratuum, majorem præsertim, constitutio (non secus atq; Legum ipsarum) ad Imperium summum, meritò dicitur spectare. Qui namq; Leges fert, easdem quoq; per se, vel per alium exequi potest.

8. Hisq; à Majestate constitutis Magistratibus (Ducibus scil. Comitibus, &c. qui nempe in locum Præsidum, Proconsulum &c. majori tamen cum potestate, successerunt) alios inferiores ordinare licet: pro modo imperij sibi competentis.

9. Legum ferendarum & mutandarum, absolutam potestatem; noxæ eximendi, Criminisq; admissi gratiam faciendi, aut etiam Asyli aperiendi, immediatè subsequitur facultas: soli conveniens Majestati; in casibus, ubi jure Divino constituta pœna non violatur; vel quæ alia urgens causa adest: publica putà lætitia, commodumvè.

10. Sicq; fas est soli Majestati (aut cui ea id speciatim concessit) restituere famæ, naturales ac spurios legitimare; veniam concede-

re ætatis : & generaliter, à vi Legum atq; judiciorum, per dispensationem liberare. Est namq; Dispensatio, quasi particularis mutatio, seu neglectio Legum : & in certo solùm casu facta.

11. Indè alij Magistratus judicare coguntur secundum leges scriptas, vel consvetudinem loci: & in casibus, ubi dispensandi ratio, vel æquitas adest, referunt hoc ad Majestatem; cùm arbitrariam, non gratiosam habeant potestatem.

12. Si item Lex obscura indigeat interpretatione, quæ excedat officium interpretis vel judicantis ; ea auctoritate illius fieri debet, qui Leges ferre potest.

13. Simili item ratione, quà Leges fert Majestas, ea quoq; judicat omnes ; tàm in Civilibus, quàm criminalibus causis : undè jus pœnæ statuendi, ac severiùs in aliquos, ob exemplum vindicandi, seu jus, ut vocant, vitæ necisq; ad Majestatem spectat.

14. Sic eadem ab aliis Judicibus avocat causas : Syndicatus judicium instituit ; aliorumque omnium Judicia examinat ; & ad illam, tanquàm ad Legem vivam, ab omnibus provocatur. Cuncti namq; aliis Magistratus, nomine, & ex concessione Majestatis, potestate suâ funguntur. Ea ergò inquirere potest, nùm satisfecerint officio suo ?

15. Appel-

15. Appellatio quidem ex Privilegio remitti, aut Judex adpellatione remotâ dari solet: Sed tamen ex causâ jam modo dictâ, nihilominus super est remedium Revisionis, aut supplicationis.

16. Pariter item Majestas, causas, ubi alâs solenniter procedi deberet, summariter examinare; imò ex quorundam sententiâ, ab executione quandoq; incipere potest, Galli *mort d' est at* vocant: ac ita olim Guysij duo, & paucos ante annos Ancherius occisi fuerunt. Idque fit jure defensionis, dolo bono, tanquam contra publicum hostem.

17. Dijudicatio similiter magni momenti controversiarum, soli competit Majestati; & ita nonnulli cognitionem de Crimine Majestatis, regalibus maximis adscribunt. Hucq; pertinet jus Relationis ad superiorem; de quo Symmachus *passim in epistolis suis*: quodqs nonnullis in locis, sententiæ ab inferioribus Judicibus conceptæ (crimina præsertim graviora concernentes) ante publicationem ad Principem mitti solent.

18. Vicissim, ut nemo ei, penes quem est Majestas, præscribit Leges; ita de sententiâ ejusdem, haut alius judicare potest: namq; aliàs non esset summus. Et ut ab eo non provocatur; ita solus is Judicem à quo non appelle-

 tur

tur (aut ſummam appellabilem definire) poteſt: quod & innui modò *ſupra num. 15.*

19. Majeſtas itidem, in propriâ judicare poteſt causâ: licet hoc jure, cùm nimis odioſum exiſtat, vix uti; ſed alios judices (qui tamen magis arbitri ſunt) conſtituere debeat.

20. Majeſtatis porrò munus eſt, ſubditos defendere contra vim omnem: huc q; Belli inferendi, & propulſandi pertinet poteſtas; ſoli competens ſuperiori: cujus eſt publicam ſuſcipere defenſionem, ne ſi hoc privata fiat authoritate, turbæ oriantur. Et ita ſubditis uſus amorum eſt interdictus, niſi ubi periculum eſt in morâ.

21. Et indè etiam Majeſtas ad hanc defenſionem, ſibi ſubjectos, ſuosq; Vaſallos, jure cogit (præſertim ſi territorium periclitetur, zu einer Landsrettung) & ad bellica officia adigit eosdem: Raiß / Volg / Außwahl vnd Muſterung vulgò vocant.

22. Hùc itidem ſpectat Jus oppidorum, Artium & Fortalitiorum extruendorum, extructorumq; aperiendorum, die Oeffnung.

23. Repreſſalias quoque ſeu Pignorationes, quas nonnulli Clarigationes quoq; (ſed non adeò rectè) vocant, (quæ inter Concives prohibitæ) contra exteros (niſi ſtudiorum causâ peregrinentur) ſolùm concedit Majeſtas. Eàdem enim, quâ Bellum, æquitate nituntur:

tuntur: ubi pariter innocentes subditi offenduntur, ut eorum Dominus, ad Juris & æquitatis administrationem adigatur.

24. Verùm quia Bellum suscipit, id est, inimicos pronunciat Majestas: ergò etiam amicos eadem sola facit. Eoq; intuitu bellum pace finit, damna & injurias subditis illatas remittit; securitatem, seu salvum conductum concedit; Fœdera sancit, & ad exteros mittit Legatos. Rebellionis enim suspicionem parit, si is, qui superiorem habet, cum extero aliquo Principe, de publicis causis agat, aut conventionem ineat.

25. Pecunia cùm rerum agendarum nervus sit: in omni inde Republicâ, certa bona Majestati reservata sunt, ex quorum proventibus nervos illos necessarios procuret; vulgò *Domantum* seu Patrimonium Regni, apud nos Cammergut vocatur. Hucq; etiam pertinent vectigalia, ac ordinaria tributa, Steur vnd Schoß; in recognitionem superioritatis, & dominij universalis quæ dantur.

26. Et competit vectigalium concessio, etiam in Romano-Germanico Imperio soli Imperatori, & electoribus: adeò, ut quamvis Imperij status subditos suos collectis prægravare possint; non tamen vectigalia nova instituere queant: cùm hæc exteros & peregrinantes etiam concernant.

27. Et illud, quod dixi Patrimonium, ut conservetur; quamplurima ei commoda, ex usu communi omnium ferè gentium addicta fuerunt (Regalia vulgò, quasi soli Regi competentia, vel à Rege provenientia: aut etiam Jura Fisci dicta (puta compendia pœnarum, aliiq; Jurisdictionis fructus, bona quæ ut indignis auferuntur, bona vacantia, prædia inculta atq; deserta (quo prætextu decimas Novales. Newbreuch/zehenden/sibi adscribunt magnates seculares) res habitæ pro derelicto, reditus piscationum, fluminum, metalli fodinarum &c. Quibus & jus venandi, Die Fürstliche Obrigkeit/ accessit, ut & Jurisdictio fluviatica, atque Marina.

28. Eaq; jura variant, pro ratione seculi & loci. Et sic in Anglia, usus fructus pupillarium bonorum pertinet ad Regem, *la noble grade* vulgò vocant. Ac monent Politici, Regalia nova non facilè esse instituenda. Verùm ea, quæ *in c. un. quæ sint Regal. in usib. feud.* nihil aliud sunt, quàm vetera jura, olim Imperatoribus in Civitatibus Italiæ competentia, & à Friderico I. cùm obolita quasi essent, iterum resuscitata, Fiscoq; Imperiali vindicata.

29. At si Majestas, reditibus ordinariis hisce, ea quæ ad salutem publicam necessaria, procurare non possit; jus ipsi est, vel extraordinarias imponere collectas, vel quoq; vetera Tribu-

Tributa & vectigalia augere. Ac etiam Angariæ & Parangariæ, hûc referri debent: daß man mit Wägen / Pferdt / Schiffen vnd dergleichen frohnen muß. Adeò ut tempore Belli, etiam Navibus exterorum, Principes utantur.

30. Verùm operæ quotidianæ, vngemeßne / tägliche Frohn / haut competunt vi jurisdictionis, sed ex dedititio pacto: vel reservatæ fuerunt ab ijs, qui olim subditos suos, servilis conditionis existentes, manumiserunt; aut tale Jus, præscriptione acquisiverunt, & instar cujusdam Regalis usurpant.

31. Itidem, ut Collectas, aliasq; exigere præstationes, Juris & Majestatis: ita quoq; ad illud pertinet, concedere immunitatem. Quæ tamen ita est moderanda, ne exindè aliorum onera augeantur.

32. Sunt deniq; & in Republica multa, quæ propter necessitatem summam, maximamq; dignitatem, soli Majestati reservata censentur. Et nempè, quemadmodùm Majestas pœnas imponit: ita quoq; distribuere præmia, ad eandem spectat. Hûcq; pertinet Jus Nobilitatem, Insignia & dignitates conferendi; Doctores ac Licenciatos (quos Bullatos vocant) Laureatos Poetas, Tabelliones seu Notarios &c. creandi: vel etiam Academias erigendi ac Comites Palatinos designãdi. Est namq; Majestas, non solùm Jurisdi-

ctionis; sed & omnis, quoq; dignitatis in sua Republica scaturigo.

33. Sicq; Domini Territoriales, licet suis scribis, den Stadtschreibern/ tale Privilegium concedere possint, ut eorum instrumenta valeant, æque ac si à Notario fuerint confecta (quemadmodum in statuto locali Würtenbergico constitutum invenitur) hoc tamen solùm tùm locum habet, si in territorio ejusmodi Legem sancientis, Instrumentum esset factum. Sic quoq; in Academiâ, ab Imperatore vel Pontifice (tanquàm universali Romano-Catholicorum Episcopo) non approbatâ, Doctoreum qui assumunt gradum, ubique locorum pro Doctoribus agnoscuntur. Eamq; ob causam, Doctoribus Lugdono-Batavis, status controversia movetur nonnullis in locis.

34. Hoc item respectu, jus cudendæ sive mutandæ monetæ (ita tamen, ut à jure gentiũ nimiùm ne recedatur) competit Majestati. Hinq; numus & numisma, à νόμ@ descendunt: quod in potestate sit Legis, & qui legibus dominatur. Undè & hodiè *Lega* vel *Liga* indigitatur gradus, & bonitas metallorum, in numis cudendis usurpata: quasi proportio lege determinata.

35. Sic itidem jus mensuræ: ponderum & ulnarum; Jus quoq; stapulæ (daß man bey

einem

einem Ort mit den Wahren anfahren/ vnd selbige außlaoen muß) Nundinarum similiumq;, habet Majestas.

36. At verò summa tàm Ecclesiastica, quàm Politica Imperij Jura, ita Majestatis propria esse reputantur; ut individua sint, & communicari sine status mùtatione, aut absq; Reipublicæ formarum mixturâ, cum nemine unquàm possint.

37. Nihil tamen impedit, quin concessione superioris, ab aliis ea exerceri, vel etiam in Feudum recipi queant. Et ita Jurisdictio territorialis, quam habent Imperij Principes & alij Status, quædam Regalia in se comprehendit.

38. Verùm, quocunq; modo Regalium concessio fiat; nihilominus superiùs id, & Majestaticum Imperium, eâ largitione nunquàm comprehensum: Sed potiùs illa cumulativè, & non privativè (aut solùm ordinaria, non simul absoluta potestas) translata; aut verò majus imperium retentum putatur, quàm quod concessum fuit; vel saltem recognitio reservata censetur. Et ita Bohemia, Burgundicæ & Austriacæ Provinciæ, Sabaudia, Lotharingia, Italici Ducatus & Civitates &c. adhuc Romano-Germanici Imperij Majestatem agnoscere tenentur. Nisi plenaria abdicatio, & immemorialis omnimodæ libertatis usus

probari

probari queat, quem Veneti, aliiq; prætendere solent.

CAPUT IV.

De

Imperio, quatenus respectu Imperantium consideratur, generatim tractans.

DE Majestate seu Imperio summo, non respectu ejus, penes quem sit, sive de juribus omni Imperio quæ competunt, hactenus actum fuit. Nunc illud idem Imperium, intuitu numeri Imperantium considerari; quasq; diversitates, varians Imperantium numerus pariat, disquiri convenit.

2. Residet autem Personalis Majestas vel penes unum, vel penes multos: eoq; nomine, vel Monarchicus, aut verò Polyarchicus est status.

3. Quando verò dubitatur, ad quem, vel quosnam pertineat summa Potestas; cumprimis jus imperandi, à ratione administrandi separari debet. Nam & in Domo, Personam Regis sustinet Familiæ Pater; & nihilominus haut rarò filii, imò etiam servi, in consilium

lium adhibentur. Sic quoq; Impp. Theodosius & Valentinianus, humanum esse probant, si quid emerserit necessarium, quod formam generalem & antiquis Legibus non insertam exposcat; id ab omnibus tàm proceribus Palatii, quàm glorioso Patrum conscriptorum cætu, antea tractari, & demùm universorum consensum, Imperatoriæ Serenitatis auctoritate firmari, *l. 8. C. de legib.* Et nihilominus tamen Romani Impp. Lege Regiâ Imperium omne, omnemq; potestatem obtinuerunt, *l. 1. ff. d. Constit. Princ.* Sic & adhuc hodie Galliæ, Angliæq; Reges, Parlamenta, statusque suos convocant, ab iisq; circa Leges ferendas, & alia majoris si quæ sunt momenti, consilium petunt; non tamen illud, eorumque majora vota sequi tenentur.

4. Vicissim verò Imperium Germanico-Romanum, mixturam admittit: cùm nempè inibi Comitiorum Recessus, ex conventione Imperatoris & Statuum habent vigorem: eaq; clausula, ab Imperatoribus iisdem soleat subjungi; Und haben wir uns mit unsern gehorsamen Ständen/ und sie hingegen wiederumb mit uns sich verglichen / ꝛc. quâ de re pluribus *infrà*, ubi de statu mixto agam.

5. Seponenda sunt item in hâc indagatione, Imperiorum simulacra, vanusq; libertatis splendor, qui interdum devictis, vel Rei-

publicæ

publicæ mutatâ formâ relinqui solet; licet vera, summaq; potestas iis admittatur. Sicq; primi Romanorum Imperatores, pristinos reliquerunt Magistratus, & schema veteris Reipublicæ, non in totum immitârunt. Alibi simulacra Regia sunt, & non nemo Rex reputatur; qui est tantùm Aristocratici Imperii, mixtivè status Princeps: quemadmodum erant Reges Spartanorum, & etiam hodie quàm multi.

6. Æquè etiam seponi debet Titulorum splendor. Multi enim Principes & Reges, Regnorum ac Ditionum, quas minimè possidens, retinent inscriptiones: eo tantùm fine, ne jus, quod inibi habent, præscriptione aliquâ admittant, earumq; possessionem animo saltem se retinere demonstrent.

7. Imò sunt etiam Reges nomine, non requi putà, alium superiorem recognoscunt: qualis est Rex Bohemorum; qui Imperatorram Majestatem observat. Vicissim Reges sunt re. quibus titulus regius tribui non solet, qualis est Dux Magnus Moschorum.

8. Quæ autem forma Reipublicæ, Civitati cuipiam optanda fiet? discutiendum hic esse videtur. Ac quamvis alii unius Imperium (propter imperandi facilitatem, frequentiam, & similitudinem Regiminis Divini) alii multitudinis (cùm magis naturale sit,

ut quod omnes tangit ab omnibus adprobetur) quidam paucorum ſeu Optimatum (cùm æquiſſimum videatur, ut optimi qui ſunt, imperitent) præferri velint. Mihi tamen in theſi, mixta Reipublicæ forma arridet: utpote in quâ integritati Legum, Juſtitiæq; plenius cautum eſſe videtur, ubi nempe unus eſt Regens, & Director: Sed alii adhuc, qui eũ, ne peccet, prohibent, ejusq; laudabiles conatus juvent.

9. Si verò non ſimpliciter, ſed in hypotheſi, hanc rẽ dijudicemus: nullã nunc Reipubl. ſpeciem, alteri abſolutè præferendam; ſed ut Populorum diverſi ſunt mores, habitus atq; ingenia; alii ita genti, vel uni genti diverſo tempore, aliã congruere puto Reipublicæ formationem. Sicq; Franci libertatem, Helvetii ſervitutem, non admittunt. Florentinorum licentia liberior rectè transmutata fuit in ſeveriorem adminiſtrationem. Quidam nec libertatem, neq; ſervitutem plenam ferunt. Alii libertatem ignorant, & ſervi ſunt naturâ.

10. Ac ita Reſpublica eſt, cùm benè ac juſtè, *id eſt*, ad publicam commoditatem; ſive ab uno, vel pluribus ea geritur: at cùm ii, qui præſunt, quiq; ad ſuum collimat emolumentum, & imperio ad propriam abutuntur utilitatem; jam vitioſa, aberransve, imò

cada-

cadaver est Reipublicæ, non corpus. Sed tamen Aristoteles nimis evagari videtur, qui exindè Tyranni extruxit definitionem; quòd nempe omnis eo nomine debeat insigniri, qui non communem fovet & respectat utilitatem: proindeq; in Boccalini Parnasso *cent.* 1, *ragg.* 76. fere capitis discrimen incurrit.

CAPUT V.

De Monarchiâ.

IMperium Monarchicum, primo explicare placet, eò quod omnium primum, in humanum genus introductum fuit: idq; eà occasione, quia Paterfamilias, in domo suâ quasi Rex existit, ad ejusq; gubernationis formulam, Imperia in Mundo primò instituta fuisse videntur.

2. Imperium autem Monarchicum tùm vigere putatur, cùm unus imperat, cæteri parent: cùmq; Leges Fundamentales, ejus administrandi potestatem, non specialiter restringunt; licet vel juramento, vel aliâ ratione ad benè justêq; imperandum, Imperans adstringatur. Nam & omnis qui Rempublicam regit, ipso naturæ jure, viq; taciti pacti, id facere tenetur.

3. Ex

3. Ex quo subsequitur; Diarchiam seu Duumviratum, Triumviratum &c. non Monarchias esse, Sed existere potius species quasdam Aristocratiæ Quando nimirum Augustus, Antonius, & Lepius Reipublicæ Romanæ jus arripuerunt; aut in Imperio Romano vetustiori, plures Augusti, parilìq; jure imperitarunt; ut sæpiùs factum esse, non inscriptiones solùm Codicis nostri legum demonstrant; sed & cum Ludovicus IV. Bavariæ Dux, & Fridericus Austriæ Archidux, Impeperium Romano-Germanicum, ex pacto indivisim administrarunt.

4. Non item Monarchica Reipublicæ forma, inibi est; ubi duo, pluresvè in unâ ditione commune Imperium habent: quod gesampte Herrschafften/ vulgò vocamus. Hucque etiam pertinet die Gewerbschafften/ ubi unius Castri aut Oppidi, plures sunt Domini, vel heredes: quos quidem hæredes Accelerantes vocant. Indeque Germanica hæcce vox, von gehen/ aut gahren/ seu appetere, originationem habere putatur: licet alii illam à gemein (propter communionem quæ inter tales est) derivent; & dicant Ganbach/ alibi communem rivum appellari.

5. Et notandum hîc est: in ejusmodi ditione, communi inter plures, non vota majora prævalere; sed contra regularem Ari-

stocratiæ rationem, potiorem esse conditionem prohibentis: & tanquam in re, quæ plures ut singulos concernit, omnium consensum necessarium reputari. Ac insuper censent nonnulli, tali in casu, ad divisionem Jurisdictionis Pagi vel Castri (tanquam rei indivisibilis) invitos cogi nõ posse; ac pariter subditos jus contradicendi aliquatenus habere.

6. At si quis Fœminam, Regni alicujus hæredem in uxorem ducat, individuam propter consvetudinem vitæ; potestatis quoq; perpetua unitas constituta, & ita Monarchia manere censetur. Hocq; in casu, interdum Fœmina ipsa regnat, & expacto adimitur Marito imperandi potestas; ut factum olim in Angliâ fuit; cùm Philippus II. Rex Hispaniarum duceret Mariam, Angliæ Reginam. Quo casu ejusmodi Reginæ, Reges etiam nominari possunt: Maritus autem loco est Augustæ. At verò si Rex & Regina, junctim Imperium administrent; ut olim Ferdinandus Arragonius, cum Elisabethâ Castilianâ, & nuper Arbertus Austriæ Archidux, cum Isabella Clarâ Eugenia Hispanâ; aut etiam, si Maritus imperitet solus: eo tamen in casu, Maritus majestatem habere, minimè putatur, cùm ejus potestas perpetua non sit; sed quasi Curatorio tantùm nomine, Regnum administret; illudq; mortuâ Uxore, Agnatis vel libe-

liberis, cedere cogatur. Quemadmodum cessit olim Filiæ Johannæ, Caroli V. Imp. Matri (Philippi Austrii Uxori) Ferdinandus, post mortem prædictæ Elisabethæ Castilianæ.

7. Unius porrò Imperium, duas formas habet; Regalē sc. & Dominicā Monarchiam.

8. *Regem* vocant, qui plenum quidem Regnum habet, sed tamen salvâ libertate subditorum, eorumq; bonorum proprietate. Et est hoc Imperium libetale, administrationisq; domesticæ regimen æmulatur. Quale fuit in Republicâ Romanâ, ex quo ibi Imperatores summam potestatem obtinuerunt, Legeq; Regiâ, populus omnem potestatem transtulit in Augustum. Sicq; errare videntur, qui Romanum Principatum non verum Regnum esse censent, umbrâmq; sive simulacra, ex vetustâ libertate reliqua, pro re, sive corpore amplectuntur.

9. Tale etiam hodiè Imperium, in Galliâ esse videtur: postquam nempe vetustiorum Regum, atq; Ducum; Normanniæ sc. Britanniæ, Aquitaniæ, Burgundiæ &c. ditiones ac Imperium in unius Regis Personam coaluêre. Nec est, quod quis Parlamenti Parisiensis (sive Curiæ colloquii & Collationis à Gallico *parler*) regerat auctoritatem; cum & invito eo, multa à Regibus gerantur, eiq; tantum competat votum consultivum.

Indeq; Sleidanus *lib. 1.* Franciscum I. Regem Galliarum, Cæsarem eligere noluisse refert Electores, quod amaverit Monarchiam.

10. Est & nunc plenum Regnum, non in Castellano solùm, sed etiam aliis plerisque, imò omnibus Hispaniæ in Regnis; ex quo Navarrenum ab Hispanis, vi occupatum, & Arragonico, superioribus annis, eminentia quæ antea habebat Privilegia, à Philippo II. adempta fuerunt. Est & idem in Angliâ status, nec jus esse videtur Ordinum conventui, sive Parlamento, præfractè Regi contradicendi; sed tantummodo dissvadendi. Plenum itidem Regnum est in Florentino Ducatu; quale plerunq; subsequitur armis oppressam libertatem.

11. *Dominica* verò Monarchia, tunc intelligitur, cùm Princeps sibi subjectis, ut Paterfamilias servis imperat, & ita simul corporum ac rerum Dominus existit: aut ubi tam rigidum Imperium, in subditos exercetur quale Dux Belli erga Milites suos cogitu observare. Taleq; Imperium, Barbarorum ingenio & inclinationi, inprimis convenien esse reputatur: qui utpote serviliter sunt tra ctandi, ac cùm ferulæ cedere nolint, virg ferreâ opus habent.

12. Ejusmodi Imperium illud esse vide tur, cujus jura sive mores, Propheta Samu

lib.

lib. 1. cap. 8. proponit; quodq; Assyrii & Chaldæi, Persæ item ac Ægyptii (inprimis postquam omnia eorum bona proprietatis jure, ad Regem pervenerunt, *Gen. cap.* 47.) Parthi, aliæq; Barbaricæ nationes consimiles, in usu habuerunt; eoq; mediante facilius vicinos subegerunt. Tale item hodè Saracenis in usu est, omnibus putà Africæ Regibus, & item Turcis: apud quos summus honoris titulus est, infimum sui Imperatoris mancipium indigitari. Hanc pariter imperandi formam, Mammaluci sive Ægyptii Soldani superiori seculo; & etiamnum hodie Moscowitæ, amplectuntur; qui Basilidis inauditam in aliis locis Tyrannidem, æquanimiter substituerunt; quorumq; Uxores, minùs à Maritis se amari credunt, si non rigidè verberentur. Usurpatur itidem Imperium hocce ab aliis gentibus, quæ in Africâ & Asiâ dominantur, putà Abyssinis (quorum Princeps *Præstegan*, quod idem est ac Apostolicus; ridiculè verò à nonnullis *Presbyter Johannes* indigitatur) Sinensibus (quos Lusitanica pronunciatio, Chinenses, qui sibilum exprimere nequeunt, vocat) magno Magor, aliisq;.

CAP.

CAPUT VI.

De Regia Electione & Successione.

Cùm verò uterq; tàm Dominus scil. quàm Rex, vel nascatur vel eligatur; porrò de *Electione & Successione* dispiciendum erit.

2. At quamvis in Electivo Regno, prona via sit ad mixturam, summæq; Potestatis temperamentum: dum nempe iis, qui eliguntur, certa Capitula præscribuntur, secundum quæ debeant Regnum administrare, ut & hodie in Imperio Romano-Germanico fieri solet. Errant tamen, qui censent, Imperium Electivum, per se respuere absolutam potestatem. Nam (ut jam modo dixi) Lex Regia Romanis Principibus (qui tamen eligebantur) absolutam dedit potestatem: ac in Ægypto quondam, Saldani Dominicè imperitabant, & nihilominus Electio ibi tàm strictè observabatur, ut nec potuerit Principis præmortui filius eligi in Regem, sed alius ex Legis necessitate sumebatur.

3. Electio, sui quidem naturâ præstantior censetur: cùm eâ mediante, optimus sumi queat; ubi verò jus successionis viget, sors verè

re cæca prævaleat, & quandoq; nativitas suggerat eum, qui omnium minimè idoneus existit. Attamen succeffio quandoq; tutior apparet, propter Interregni incommoditates, & affectus Electorum, vitiosamq; & turbulentam eligendi rationem. Nec infrequens est, ut aliquid per se bonum fit; quod tamen habito respectu ad subjecti conditionem, inconsultum videatur adhiberi.

4. Sæpè autem dubitari solet, an hoc vel illud Regnum Electivum, num verò successorium existat? Sicq; Imperium quod attinet Romanum, illud ab Augusto, & dùm Romæ fuit, Electivum, sub Francis & apud Græcos, ut plurimum successivum: Sed verò quamdiu est apud Germanos, Electivum extitisse videtur. Idemq; de Danico & Ungarico Regno asseri solet. Tale item adhuc Polonicum, & olim etiam Svecium fuit. Parileq; jus Bohemi nuper prætenderunt: ut successu infelici, sic quoq, haut favente Aureâ Bullâ.

5. Veruntamen Electiva Regna, triplicia esse censentur; nonnunquam (1) etenim ex omnibus eligitur Princeps, quæ Electio liberi Voti indigitatur: nec ibi refert, Peregrinus, Nobilis vel Ignobilis in Regiam sedem introducatur.

6. Interdum (2) ex certo hominum ge-

nere, sumitur Rex: & ita Israelitico olim Regno, & hodiè in Imperio Romano, haut alienigena, Imperii summi capax existimatur. Quamvis à Germanis hac de re nulla lex certa, nec etiam haut interrupta consvetudo allegari queat: nam & Hispanus ac Anglus ad Imperium vocati fuerunt, ante Rudolphum I. & item Franciscus Galliæ Rex, unà cum Carolo V. ad Imperialem dignitatem adspiravit; siq; Sleidano fides adhibenda, adstipulatoribus non caruit, etiam inter ipsos Electores.

7. Quandoq; (3) ex Domo Regiâ, necessariò sumi debet Princeps: etsi in omni ferè Electivo Regno, filii, proximorumq; defuncti Agnatorum (haud quidem ex necessitate) non exigua soleat ratio haberi. Cujus rei stirps Oldenburgica in Danico, & Jagellonia in Polonico Regno, documento esse possunt. Consimileq; in Imperio Romano, tàm Latiali, quàm Germanico, usu observatum fuisse, constat.

8. Ubi nulla sunt Electioni leges certæ, & accuratè præscriptæ, nec ad paucos Electio est redacta; ibi plerunq; turbæ exoriri solent: ut olim Romæ, in Sveciâ item ac Polonia, sæpius fuit factum. Et ita Electio legitima habetur, quæ secundum Leges & instituta Reipublicæ peragitur: eâq; ratione, Electi-

va

va Regna, quoad modum eligendi, multifariа existunt.

9. Sicq; in Imperio Germanico Romano, Electioni certum modum præfigit Caroli IV. Aurea Bulla: à Sigillo, aut græcâ voce βελὴ (quasi sit consultum sive scitum) ita dicta. Et quidem Septem Electoribus plenarium ea tribuit jus eligendi; secùs ac olim erat, ubi omnes Principes Votum habuisse; post officialibus primariis prætaxatio (ut loquitur Albertus Stadensis) hoc est, jus nominandi, salva confirmatione aliorum Magnatum, competiisse videtur.

10. Pontificis Romani Electionem, quam soli nunc obtinent Cardinales (queq; prudenti & verè politico judicio, coërcita est; ac in conclavi, frequentiùs per scrutinium, interdum etiam per adorationem, ut vocant, fieri solet) adscripserunt sibi quondam Imperatores: eoq; nomine cruenta in Italia sæpè (à Heinrico præsertim IV. & Friderico I. ac II.) fuerunt concitata Bella.

11. Illud, quod successione defertur Regnum, in Hæreditarium seu Patrimoniale, & Gentilitium seu Legitimum, vulgò discriminatur.

12. Hæreditarium dicunt, ubi ex Testamento vel eo non condito, ex causâ intesta-

ti; Sed habito tantùm respectu ultimi possessoris: sicq; hæreditario jure transmittitur Regnum.

13. Legitimum seu Gentilitium vocant; quod universæ Familiæ sive Genti confertur, & secundùm Legem Regni fundamentalem datur, ferèq; Feudi (ex pacto & providentiâ quod vocant) imitatur naturam. Sicq; Legitimus, successionis intuitu habetur Principatus; ubi Legis vel consvetudinis provisione, certæ personæ, non ut hæredi, sed secundum generis vel sangvinis prærogativam, confertur potestas. Quemadmodum nunc ubivis ferè receptum esse puto.

14. Et quidem, si jure hæreditario deferatur Regnum, successor defuncti (utpote à quo causam habet) præstare factum; & ideò omne æs alienum exsolvere tenetur: quod secus est, ubi ex Lege, in jus Regni succedi solet. Quamvis nec in Hæreditario Imperio, prodigaliter liceat absumere Coronæ Bona. Et viciſsim in legitimo, (quin & in Electivo) Regno, ad solutionem obstrictus omninò est successor; si quid prædefunctus necessitate urgente utilitateve instigante cōtraxit aut promisit: ut in causâ Christierni, contra Daniæ Status, pro Marchione Brandenburgensi respondit Schraderus. Ne sc qui fidem sequitur Principalem, decipiatur &

& etiam aliàs nemo cum Magnatibus contractum iniret.

15. Reſpuit etiam Legitimum Regnum Teſtamenti factionem; quam hæreditariam admittit: ut obvia ſunt ejus rei exempla, in Hiſpaniis, Angliâ, Burgundiâ & Sicilia utrâque.

16. Ideò pertinet ad Hæreditarium Regnum, axioma illud, quod ſuggerunt Interpretes noſtri Juris: Principem ſcil. in Teſtamento condendo, ad nullam ſolennitatem Juris adſtringi; ſed ſufficere ſi modò conſtet de perfectâ voluntate. Sicq; olim per annuli traditionem Regna transferebantur. Et hoc privilegium, cum non immediatè concernat abſolutam poteſtatem, etiam Germaniæ Principibus competere videtur. *arg. lib. 31. §. 1. de Legibus.*

17. In legitimo verò Imperio, non poteſt Pater ſcribere Hæredem; alterivè, quàm cui lex defert, relinquere Regnum; quamvis Ordinum conſenſus accedat. Et ita Carolus VII. Galliarum Rex, cùm à proprio ſuo Patre, accedente Parlamenti ſcitu, ſucceſſio in Regno Gallicano, Angliæ Regi adjudicata eſſet, ad mucronem gladii ſui appellavit.

18. Ut nec ſi metus ſubſit, ne mortuo Principe, de Regia ſucceſſione, controverſia ſuboriatur: eam dùm vivit, definire poteſt

Princeps

Princeps. Sicq; Henricus ultimus Lusitaniæ Rex, non potuit cum effectu declarare, quem debeat habere successorem; nec etiam Judices vel curatores constituere, qui hoc facerent post ejus mortem: cùm nemo queat ultra vitam imperitare.

19. Non tamen prohibitum censetur, etiam qui ex Lege est, Successorem mente captum prodigum, vel aliter ad imperandum non, idoneum, à successione removere: quod tamen sine præjudicio filiorum illius non idonei, intelligi debet; maximè si jam fuerint nati. Quemadmodum etiam Pater renunciare successioni (legitimæ vel Feudali) sibi delatæ nequit, aut quoq; jus cõstituere Primogenituræ, in detrimentũ filiorũ jam natorum.

20. *Ascendentium* successio, haut secus ac in Feudis, nõ hic locum habet; nisi cùm Principatum Pater, aut alii ex majoribus, priùs habuerunt.

21. At verò tàm in Legitimo, quàm in Hæreditario Regno (si Pater non aliud constituerit in Testamento) Imperium uni ex pluribus filiis cedit: nec enim sine status diminutione dividi, vel à pluribus administrari potest. Ac quidem ex communi omnium gentium more, *Primogenitus* cæteris præfertur: & inde ejus legitimam, totum esse Regnum, dici solet.

22. Quin

22. Quin & primogenito cedunt Regni incrementa (Provinciæ putà noviter partæ) dummodo illa coronæ unita, vel etiam viribus Regni fuerint acquisita. Quin & Bombardæ Aulæq; Supellectilia, & alia nobilia, sine quibus Regnum consistere nequit, ad primogenitum spectare videntur: pariter ut Instrumenta pertinent ad fundum instructum.

23. Liberis autem natu minoribus, vel annuæ pensitationes, vel portio quædam Regni assignatur certa; quam à Primogenito, ut feudum, vel aliter recognoscant: *Appannage* Galli vocant. Interdum etiam secundogenitis separatæ Provinciæ dantur, si præsertim â Regno sint separatæ: quemadmodum Belgium ante aliquot annos, datum fuit Serenissimæ Isabellæ. Et svadent hîc Statistæ, in Ducatu vel Comitatu, ubi Jus viget Primogenituræ, non omnes filios, parilis dignitatis nomen usurpare debere.

24. Et etiam inter Electores, cæterosq; Germaniæ Principes regulariter locum esse juri Primogenituræ, existimarem: idq; cumprimis Familiarum decus, & Imperii etiam incolumitas exigere reputatur. Et hoc præsertim Protestantes observare debent, apud quos nulli, vel rariores sunt Episcopatus, Canonicatus &c. quibus secundo-genitis commodè

modè prospiciatur, & sic divisio impediatur.

25. Quin & magis est, ut dicamus, eum qui prætendit Ducatum, aliudq; Feudum dignitatis dividi non posse; fundatam habere intentionem: cùm id conforme sit Feudisti Juris sanctioni. Imò, etiam ubi Ducatus &c. in portiones distrahuntur, quandam ferè semper retinet senior prærogativam; ut nempe Feuda conferat, majorem cæteris capiat portionem, &c.

26. Differt autem à Primogeniturâ Majoratus, sive Senioratus: ubi ætate prior in tota familiâ Castrum vel simile quid habet; idque non ad descendentem, sed seniorem Agnatum transmittit. Et quidem, ubi in aliquâ familia Jus Primogenituræ viget; ibi semper posteri primo nati, nunquàm ab aliis ob ætatis prærogativam excluduntur.

27. Primogenitus à nondum Rege procreatus, etiam nato post adeptum Regnum præfertur: est enim tempore mortis, filius Regis. Ut & Primogeniti filius, ob spem in Patre radicatam, jureq; repræsentationis, Patruo potior existit.

28. Deficientibus liberis, defuncti Frater succedit: vel eo haud superstite, Agnatus (lineâ, non gradu vel ætate) proximior. Quod & Duces Aldenburgenses contra Vinarien-

narienses obtinuerunt. Hæcq; successio datur in infinitum &c. Sic & jam olim Baldus prædixit, Valesiis Barbonios successuros, etiamsi ultra decimum sint gradum.

29. At ab Imperij excluduntur successione (præsertim apud Christianos) extra matrimonialem complexum prognati: neq; ij etiam à Pontifice vel Patre Rege, legitimari aliter queunt, nisi per matrimonium sequens. Tuncq; forsan succedent, etiamsi à vilioribus matribus editi sint. Sed verò barbaricum planè est, quod Turcæ, aliæq; consimiles gentes, inter filios legitimos, & ex cócubina prognatos, nullam differentiam agnoscunt.

30. Qui autem spontè repudiat successionem, non præjudicium creat, nisi liberis suis post renunciationem natis: quod & dixi jam suprà *num. 19.*

31. *Fœminarum* verò Imperium, quamvis nec Divinâ, nec naturæ Lege prohibitum videatur: eæ tamen omnium ferè gentium recepto usu, ab Imperij successione excluduntur. Non solùm propter multas incommoditates, quæ suboriri solent, si fœmina obtineat Sceptrum; Sed & ne Regnum extra Familiam, aut etiam ad peregrinos pervenire possit. Hincq; fœminâ remotâ, exclusi

clusi etiam censentur. Masculi ex Fœminâ descendentes.

32. Ideò etiam, licet ad Regiam successionem, ex Regni consvetudine generali Fœminæ admittantur; Masculo tamen Filio existente, succedere fœmina nequit, etiamsi eo ætate sit major. Plerumq; verò Agnatis ex latere, filiæ præferuntur: secùs ac in feudis. Nam Regnum, non nisi propter tranquillitatem, & in solatium Regis liberis masculis carentis, ad Regias filias pervenire solet; Sicq; etiam nuper, Lotharingiæ Ducis filia, Patri successit, Patruo remoto.

33. Et item Primogenituræ Jus pertinet ad Fœminas quoq;. Unde primogenitæ filia, materterâ potior est; primogenitæque gnata, secundo genitæ filio quoq; præfertur.

34. Regni tandem successio, ut eo magis integra servari queat; gentilitia pacta, & ex iis pactitij hæredes sunt inventi: Erbeinigungen vocant; eorumq; vigore, unâ Familia deficiente, altera succedit. Et ea licet re ipsâ separata sint à fœderibus hæreditariis, quæ Erbverbrüderungen nominantur; sæpiùs tamen concurrunt. Est autem Familiæ Pactum illustre inter Saxonicam & Hassiacam Domum; ac utrisq; eâ ratione conjunctus erat, & etiam cessit Hennebergensis Comitatus; Saxonica quoq; Electoralis Domus, cum

Marchi-

Marchionib. Brandenburgensibus talem cognationem habet: hique cum Pomeranis & Megapolitanis. Fuit & olim consimile Pactũ inter Austriæ Archiduces, & Bohemiæ Reges, Lützelburgicæ stirpis ejusq; vigore Bohemia Austriacis cessit.

35. Et ea porrò pacta, interdum non reciproca existunt (quale est inter Austriacam & Wurtenbergicam Domum.) Omninò item atq; regulariter, liberam impediunt testandi facultatem: Imitantur quippe naturam familiæ fidæi commissorum, ac si admitterent Testamentum, planè clusoria essent. Requirunt etiam ab initio Domini Beneficialis, aut si liberum sit Regnum, Ordinum assensum.

36. At Regalis si stirps extinguatur, situm est in Ordinum potestate, quem sibi velint eligere Regem; aut etiam possunt Reipublicæ immutare formam.

37. Est & hoc notatu dignum, adprobationem & confirmationem Regis, haud necessario Electionem importare; Sed & in successorio Principe locum habere posse. Est enim repetitio fundamentalium Legum sub quibus Regnum ab initio est constitutum. Hincq; etiam Galliæ Reges, ante Coronationem, Regio titulo abstinere solent.

38. Summis autem Principibus, ante eorum excessum, num futurus designari possit & de-

beat Successor ? in thesi vix determinari potest: verùm ex circumstantiis casu eveniente, dijudicari debet. In successorio sanè Imperio, minorem res hæc dubitationem habet inibiq; frequenter filiis, subditi præstant Juramentū, certumve eminentem titulum ij habent, certissimæ successionis notam: ut in Gallia *Delphini*. In Electivo autem Principatu, Ordine cavere solent, ne designetur aliquis authoritate solius Regis viventis, sed Electorum sci tu; quo nomene Ferdinando I. Imperator controversia olim mota fuit. Sed nec consul tum semper est ipsi imperanti, ut hoc fiat. So enim oriens magis; quàm occidens adoratur Indeque Elisabetha Angeliæ Regina, nolui declarare etiam legitimum Successorem.

39. Hûcque pertinet Ius Romani Regis quod is habet Imperatore vivente. Et ea iter disputatio intricata: Nùm. Regius Pater in li beros suos habent Iurisdictionem, eosque sup plicio afficere possit? ut fecit Filio suo Do Carolo Philippus II. Sed certè in Imperi Germanico. Romano tetari posset; Princi pes Comites, Nobiles non habere Jurisdictio ne in suos filios, Fratres &c. Sed eos cesendo immediatos.

40. Ut Principatus Electivus, Interregni sic successorius nonnuquàm. Tutelam habet utrobique cautiones quædam adhiberi de ben

bent; ne illic Respublica intereat; hîc verò ut non hæredi legitimo adimatur.

41. *Interregnum* certè diuturnum vix esse solet absque periculosis turbis, ut edocere potest Germaniæ Status, qui fuit ante Rudolphū I. Hincq; Aurea Bulla Caroli IV. introduxit vicariatum, certisque familiis (Bavaricæ & Saxonicæ purâ) adscripsit. Ei autem an locus sit Imperatore vivente, sed extra Imperium versante? quæstio est anceps: Ad quam vix affirmativè responderi potest: haut enim Imperium tunc vacat.

42. *Tutela* Regia, aliorumq; magnatum, tutiúsne Matri, Agnatis, Ordinibus, aut in Paterno Testamento nominatis aliis, commendari possit? in facto consistit. Sanè Caroli V. Tutelam, ex fide gessit Ludovicus IX. etiam hostis.

43. Non excluditur à Tutelâ Mater; etiam ubi Fæminæ, alias à successione removentur, nam utrobique diversa ratio existit. Alibi (ut in Electoratibus Imperii Germanico Romani) proximiori ea competit Agnato: nec per Testamentum eidem auferri potest.

CAPUT. VII.
de
Statu Polyarchico generatim.

ET hactenùs quidem de Monarchico Sta-

tu; nunc inspectio Polyarchici Regiminis succedit; quod iterum vel simplex vel Mixtum existit. Ubi autē simplex est Polyarchia, ibi quidem imperant plures, omnes tamen unius referunt vicem, estq; ibidē Collectivus Principatus: & qui imperii participes sunt, non imperant ut singuli, sed ut universi.

2. In hoc etiam Statu, Magistratus seu Officiales, ab iis, qui ex numero Imperantium sunt, distingui debent: hi enim plus juris, illi ferè plus dignitatis habent.

3. Indeque non propterea Monarcha nominari potest, si in Polyarchico statu, unus dignitate & experientiâ præ cæteris pollens constituatur, qui majorem aliis Magistratibus habeat potestatem: ut in Reipublicâ Veneta nunc est *il Doge*, ut & in Genuensi: qui quidem Rectores & Executores, summiq; Magistratu sunt, minimè verò Principes absoluti.

4. At verò in Republicâ Romanâ, Dictatores plenam habebant potestatem, sed non perpetuam. Et consulibus inibi interdum mandatum fuit, ut viderent, ne quid Respublica capiat detrimenti: ubi magnam quidem sed tamen finitam obtinebant potestatem. Sylla autem primum demonstravit. Dictaturam Tyrannidem esse; eamque, quod is deposuit. Solœcismum Politicum commisisse dicebat olim Cæsar; qui cum Dictator perpetuus

ſuus creatus eſſet, eo ipſo Rex factus fuit, licet nomen recuſaret.

5. Porrò ratione numeri, ſimplex hicce Polyarchicus Status, in ſpecies duas abit: Ariſtocratiam nempè & Democratiam.

CAPUT. VIII.

De Ariſtocratiâ.

ARiſtocratiam dico, quando conjunctim pars Civium minor, ſeu aliquot excellentiores; tam ſingulatim in omnes Optimates (qui nempè extra Senatum pro privatis habentur) quam in reliquos univerſos, ſummæ poteſtatis jus habent.

2. Pro diverſâ autem Eligentium ratione, duplex iterum Ariſtocratia exiſtit: aut enim Populus eligit (ut ſcil. perpetuam habeant poteſtatem, quemadmodum in Electivo Regno Princeps) aut verò Optimates, loco vocante, alium ſubſtituere ſolent.) Quandoque item Optimates non fiunt, ſed naſcuntur (& ita Venetiis Patricii omnes, Senatum ingrediendi jus habent) aut alia ratio eligendi uſurpatur.

3. Eſt & diverſitas Ariſtocratiarum, in Imperantium multitudine vel paucitate; quâ de re cerrta egula dari nequit.

4. Reſpectu verò qualitatis eorum, qui eligun-

guntur, rursùs duplex est potentia paucorum: ac quidem *Oligarchiam* vocant ubi divites, vel genere nobiles Rempublicam moderantur Licet interdum hoc eodem nomine soleat indigitariis Reipublic. morbus, ubi pauci imperitant, & solum respiciunt commodum privatum: quia id frequentius à Divitibus & Nobilibus fieri reputatur, Ejusq; rei in Helvetiis passim & etiam Germaniæ nonnullis liberis Civitatibus (ubi olim ferè tantùm ex Equestri dignitate Ornatis, Senatus constituebatur) factum fuisse ajunt.

5. At Aristrocratia speciatim vocatur, ea Imperii forma; ubi virtute, dignitate & meritis maxumè insignes, ad hoc idem destinātur.

6. Sicque hodiè Oligarchiam Venetiis, & (quæ est ejus æmula) Noribergæ ac Augustæ (ubi non nisi Patricii) ac quoque in Republicâ Genuensi & Ragusiorum, (ubi tantummodo divites imperitant conspicere licet. Ac licet interdum honestiores ex Plebe, Senatus participes reddantur; hoc tamen ad simulachra magis, quàm quod jus dominationis cum ipsis communicetur, fieri videtur.

7. Merè verò Aristocraticus erat Status, in Politiâ Israelis, sub senioribus & Tribuum, familiarumque Principibus, antequam Regnum constitueretur: ubi simul Judices, non Reges, sed loco Dictatorum erant; aut quales Græ-

Græcorum Æſymnetæ. Nam & Gedeon noluit eſſe Rex & errant, qui cenſent, in defectu Judicium planê Anarchiam aut cujuslibet oppidi ſingularem tùm Rempublicam fuiſſe, Tribus enim univerſim, reliquas quanque puniverunt.

CAPUT. IX.

De Democratiâ.

DEmocratia, ſummum Reipublicæ Jus, penes Populum, aut majorem partem Civium conſtitutum habet: quæ Politiæ forma à quibuſdam ſpeciatim & abſolute Reſpublica indigitatur; quia ſcilicet ibi omnia, maxime publica, ſive populica exiſtunt.

2. Populus autem, cum Divites, tum tenues, tum Patricios, tum plebejos complectitur: indeque plebs ubi plus poteſt, pleriſque popularitatis ſpecies aberrans habetur. *Laocratiam* vel *Ochlocratiam* vulgò vocant: qualis olim erat Romæ, cum plebs abſque Senatu, Plebiſcita ſanciebat. Ac item hodie in nonnullis Helveticis Civitatibus viget, ubi Nobilibus nulli committuntur Magiſtratus.

3. Verum Populus, ubi rerum Dominus; attamen honores & Magiſtratus, Patriciis tan-

tantum tribuit; *Timocratia* vigere censetur. Et ita primitus Romæ, tantum Patricii ad honores, Magistratusque admittebantur, populo nihilominus universo, suâ constante majestate.

4. At duas species principaliores Democratia habet: aut enim multitudini consultationes & judicia (nullo existente Senatu) aut verò Magistratuum deligendorum, corrigendorumque tributa solummodo est potestas: ubi populus quidem retinet Jus summum, Sed per Magistratus à se constitutos omnia agit. Ubi populus nescit se omnia posse, sed Legibus semetipsum devincit, quod tamen extraordinariam potestatem non tollit. Id quod ICC. quidam, Politices ignari, haut animadvertentes, majorem Principem Monarcham, quam Populum in Democratia potestatem habere, absonè prorsus.

5. Prior species (quam *liberam Democratiam* vocare licet) omnes secundum numerum censet: & nec generis, virtutis vel divitiarum diversitas, inæqualitatem ibi inducere solet. Hicque Reipublicæ formæ, unica proposita est libertas, & Isonomia seu æqualitas Juris, indeque ibi frequentantur Agragriæ Leges.

6. Hinc & in tali Statu Magistratus non tam utilitati communi, quam multitudini placere

cere ſtudent:in eoque multum poteſt petulantia Oratorum populique ductorum : qualis in Republicâ Athenienſi Demoſthenes, aliique complures : nonnullis etiam in locis (ut ſuperioribus annis in Luſitaniâ, qui Philippo II. reſiſtebant, ac quoque ut fertur, in Rhætia) turbulenti Eccleſiarum Miniſtri erant.

7. Hæc autem Reipublicæ forma omnium prope judicio vapulat, eo quod inibi licentia, pro libertate habeatur, Viriq; nobiles & egregii, licet innocentes, per Oſtraciſmum aut Petaliſmum pellantur, ſed hoc tamen propter affectatæ Tyrannidis ſuſpicionem neceſſariò fit, nec præter ratione͂: præſumitur enim, etiam optimum velle dominari, ſi poſſit; multique in rebus vilioribus probi, conſcientiam violant Regni causâ. Hoc item delictum tale reputatur, ut poſtquam eſt jam perpetratum, vix puniri queat.

8. Hujus tamen ſpeciei exemplum, præbuit olim etiam Reſpublica Romana; ubi ſemper Populus ſummam habebat poteſtatem, ubi nullus ferè Civis morte puniebatur; ac licet Senatus ſuâ authoritate popularem licentiam haut rarò temperaret, multa tamen populus peragebat nimis licenter. Ex favore & precio Magiſtratus diſtribuebat nimiamque affectabat popularitatem &c. Paruta. *diſc. 1.* Sed verò adhuc magis popularis fuit Reſpublica A-

thenienfis. Quæ ideò, poſtquam Imperium ſuum in alios extendere voluit, illud domi amiſit. Hic porrò idem ſtatus, & nunc apud nonnullas Helveticas Civitates, & etiam apud Rhætos viget: qui tamen per licentiam nimiam, priſtinam libertatem, præteritis annis fere peſſundederunt; nec ſuâ eam virtute, ſed ope aliorum, qui ad id odio Hiſpanorum fuerunt inſtigati, recuperârunt.

9. At Democratiæ ſpeciem poſteriorem, quam *adſtrictam* appellare licet, amplectuntur Genevenſes, magnâq; ex parte Helveticæ, Hanſeaticæ, ac Imperii Romano Germanici Civitates immediatæ. Ejuſque illuſtre quoque præbet exemplum Reſpublica Belgii uniti: ubi ab Ordinibus omnibus Deputatorum conſenſu, qui Hagæ Comitis ſunt congregati, cuncta adminiſtrantur; iique ut plurimum poſt triennium domum revocantur, & alii ſubmittuntur. Ex quo pateſcit, illas Provincias non fœdere conjunctas, ſed ita unitas eſſe, ut conſtituant Rempublicem unam. Licet ex multorum judicio; cum propter Armenianiſmum, Patriciorum & Optimatum auctoritas diminuatur, & Demagogis locus pateat; ad converſionem ea accelerare videatur.

10. Prior autem ſpecies Democratiæ, eo magis firma reputatur, quo protius ad hanc poſteriorem accedit.

CA-

CAPUT. X.
de
Statu Reipublicæ mixto.

PErgimus ad Reipublicæ *Statum mixtum*; quem quidam dari non rectè negant; alii cum ratione gubernandi, perperam eum confuderunt: cum non ratio, sed magis jus imperandi sit inspiciendum, Et porrò ex vulgato axiomate illo; quod Majestatem communicari posse negat, Bodinus, ejusque asseclæ deducere haut queunt, mixturam non dari: Sed hoc potius sequi videtur; ubi Majestatis jura non sunt penes unum, nec penes paucos, nec penes populum solum, tunc nullo modo simplicem, sed mixtam Reipublicæ formam esse.

2. Et differt Reipublicæ forma mixta, à simplici Polyarchico statu in eo; quod hîc non est communicatio Majestatis Jurium æqualis ut illic; sed vel proportionabiliter distributa vel solum restricta. Fereque una species, præ cæteris eminere solet.

3. Status enim mixtus, variationes quam plurimas admittit Interdum enim separantur Majestatis jura, & diversa diversis ordinibus attribuuntur: interdum Majestas cum Ordinibus, eorumq; Deputatis, ex parte communicatur; interdùm præter mixturam aliter etiam summa temperatur potestas.

4. Ac sic in Imperio Germanico Romano, propter Capitulationem, Electorumque inspiciendi & deponendi (eoque nomine liberè conveniendi) potestatem; coarctatam, & insuper etiam divisam quasi esse Majestatem, multi putant eo quod inibi quædam, Cæsaris, Ordinumque communia inveniantur; quædam, solius Cæsaris cognitioni reservata reputentur; quædam à Cæsare aliena censeantur, quæ cuncta latius explicantur ab iis, qui speciatim de Jurisdictione Imperii Germanici agunt: inter quos primas ferè obtinet Tobias Paurmeisterus.

5. In quantum autem Respublica Germanico-Romana, à Monarchiâ declinet, & ad Aristocraticum Statum accedat, meum non est dijudicare. Hicque non in Scholis, sed in Comitiis discutiendæ incidunt quæstiones: Annè Imperator possit Imperii Statum, Banno notare solus, vel quorundam tantum Ordinum consensu; si præsertim propter factiones, & bella Civilia, reliqui nequeant convocari, & periculum sit in mora? An Imperator, ordinarium processum negligere possit, propter occurrentem extraordinariam causam? An is solus de Feudis Imperii cognoscere, ac quem velit de Electorali Feudo aperto investire queat? Nùm si Ordines dissentiant, nec ex pluralitate votorũ, res dijudicari que-

ut, ſed ij in duas vel plures abeant factiones, penes Imperatorem ſit poteſtas decidendi? Nùm Imperator per Aulicum Conſilium ſuum, de cauſis ex conſtitutione Pacis Religioſæ decidendis, judicare queat? &c.

6. Ad hanc etiam ſpeciem, non præter rationem, Poloniæ referri poteſt Regnum; ibi enim Nobiles magnam in Comitiis obtinent poteſtatem; & tamen auctoritas Regis, cum electus eſt, in multis rebus abſoluta videtur.

7. Majeſtas mixtim communicata cenſetur, ubi Monarchia cum Ariſtocratiâ, vel Democratiâ; aut cum utriſque ita permiſta invenitur, ut neutrius nomine indigitari queat. Putà cum uni gubernationis præcipua, ſed non ſoli commiſta eſt cura, verùm aliis (qui vel Plebem, vel Nobiliores, aut utroſque ſimul repræſentant) ejus aliquam obtinentibus partem; vel inſpectionem ſaltem habentibus, atque interceſſionem.

8. Horum munus in eo conſiſtit; ut Magiſtratum ſummum in negotiis juſtis ope & conſilio juvent; in rebus injuſtis, ejusdem licentiam moderentur: eoſque vulgò Politici *Ephoros* appellant, ex uſu Lacedæmoniorum.

9. Sicque Monarchiæ & Ariſtocratiæ mixtura fuit in Iſraelitico olim (propter Synedrion) & nunc etiam eſſe videtur, in Hungarico, Suecico, Danico, ac nuper etiam in Bohemico Re-

Regno; ubi Senatores Regni vel Palatini, Regibus appositi conspiciuntur. Ac fuit quondam Septentrionalium gentium, ab ijsq; constiturorum Regnorum constans mos, amare libertatem, nec Regibus permittere ac solutam potestatem.

10. Monarchia verò cum Democratiâ mixta, fuit Romæ (postea quam Servius Tullius Populo multa permisit) ut & in Germaniâ, Taciti ætate, quam plurimis in locis.

11. Sed simul ex omnibus tribus formis, Respublica apud Lacedæmonios constabat; dominantibus Ephoris, & Senatui suâ constante authoritate: ac quoque in Arragoniæ Regno, antequam illius libertas, à Castellanis opprimeretur.

12. Status Reipublicæ mixtus ex Aristocratiâ & Democratiâ habetur: in quo ita imperant Optimates ut simul quoq; Imperij particeps Populus existat: ut hodiè in Urbibus plerisque majoribus contigit; ubi Mercatores & ditiores Cives omnes, etiam particeps esse cupiunt rerum gerendarum.

13. Statum itidem mixtum agnosco: ubi Majestas Legibus Fundamentalibus, non quò ad constitutionem solum, sed & ratione administrationis, coarctatur; certæque imperandi præscriptæ sunt Leges: Unde Imperium illud κατὰ νόμον, seu legitimum indigitatur. Et

ita

ita in Belgio, semper usitatum fuisse fertur, certis Privilegiorum, Rituumq; formulis adstringere Imperantes.

14. Leges & Privilegia hæcce, multiplici sepimento circumvallantur: nempè vel jurejurando (in certa Capitula concepto) vel apposito custode libertatis, aut Ephoris; vel eo pacto, ut liceat in casu contraventionis, Regem Imperio indignum pronunciari; eivè, tanquam ipso jure potestate suâ privato, obedientiam denegare. Et sæpius etiam, majoris cautionis ergò, plures species mixtionis concurrunt, ac nempè jura Majestatis non solùm dividuntur; Sed & Ephori constituuntur, Legibusque, & Juramento etiam restringitur potestas.

15. Porrò initii ratione, Leges, quæ absolutam coarctant potestatem, multiplices sunt: & earum intuitu, subditi in pactitios (qui certâ conditione sese dediderunt) exēptitios (qui absolutè prius subditi, majorem postea libertatem acquisiverunt) & Privilegiarios separantur.

16. Non tamen omnia Privilegia, Statum faciunt mixtum; sed tantùm ea, quæ superioritati obsunt, & ita Legibus Fundamentalibus censentur, nec revocari possunt.

17. Hûc deniq; pertinet tractatio confusarum potiùs, quam ritè mistarum Imperii formarum;

marum; putâ ubi separatæ sunt Jurisdictiones, ut scilicet unus hanc, alius aliam ejus speciem habere comperiatur: ita tamen, ut neuter verè superior alteriùs existat. Quemadmodùm Episcopi, nonnulliq; Principes, in vicinis Liberis Civitatibus, multa Jurisdictionalia habent; non verò jure Superioritatis, sed potiùs ad exemplar servitutis realis.

CAPUT. XI.

De

Imperiis subalternis.

Addenda nunc est alia divisio Imperiorum: quâ quædam *Absoluta*, quædam *Subalterna*, dicuntur. Illa extra suum Territorium, superiorem non habent; ac ita nemini, nisi immediatè Deo: hæc alteri vel Populo, vel Principi sub sunt. Ejusque Majestatem verè, non comiter tantum (ut Clientes aliique consimiles absque onere subjectionis) observant: nec tantùm alium majorem, sed & superiorem cognoscunt.

2. Sicque Imperia Subalterna, quoad subditos ferè absoluta, & eadem Dominorum superiorum respectu, non absoluta existunt. Verum à merè subditis Provinciis, differunt ex parte: quia quandam per se constitutam Reipublicæ formam habent, quam mutare superior

lor nequit; & etiam parùm ferè curat, quo-
modo subalterni Principes, subditos suos gu-
ernent: modò se, tanquam superiorem a-
noscant.

3. Ac ejusmodi sunt *Tributaria* Regna, quæ
el victa, vel aliam ob causam, alteri liberta-
em & potestatem, quam habent, acceptum
erunt: in ejusque rei recognitionem, vel pen-
onem aliquam numerant quotannis, vel
unera mittunt. Ut faciunt Turcarum Impe-
atori Gregoriani seu Circassii, Fessani, Maro-
i, Tuneti, &c. Reges sicq; hîc tributum est pu-
licus canon in recognitionem universalis,
el superioris dominii qui datur. A quo itaq;
ensio simplex multum distat.

4. Pertinent item hûc *Feudalia* Regna
qualia (sunt Siciliæ utriusque) ac quoq; *Sta-*
us in Imperio Germanico-Romano. Qui in suis
erri[illegible] liberam, fereq; Regiam potestatem
aben[illegible] Territoriale (vulgò die Landsfürst-
liche Obrig[illegible]it) indigitatũ: quia scil. territorio,
anquam nebula paludi inhæret, cum eoque
ansfertur. Constatq; ex Regalibus quibus-
am, & omnimodâ, ac etiam Forestali Juris-
ictione.

5. Hocque respectu dici solet: Imperii Or-
lines, ipsum Imperatorem, in territoriis suis
epræsentare; quod tamen, exceptis iis, quæ
mperatori singulariter sunt reservata, intelli-

gi debet. Multisq; aliis insuper modis, Territorialis hæcce Jurisdictio, ab absolutâ differt potestate: inprimis quod Appellationes & querelæ etiam inferiorum subditorum, contra Dominos suos, in Curiis superioris acceptantur.

6. Hique status comitialiter congregati, in tria Consilia, Electorum, Principum, & Civitatum dividuntur. Electores, ut & Principes, vel Ecclesiastici (Archiepiscopi putà, ac Episcopi &c.) vel seculares existunt.

7. Principum nomine, Archiduces, Duces Palatini, Marchiones, Landgravii, & quidam Principes in specie ita dicti Fürsten oder gefürstete/ꝛc. comprehenduntur. Et his quoque immediati Comites, & Barones accedunt; ut & Prælati atque Abbatissæ immediatæ: qui tamen omnes, non viritim (ut Principes) sed curiatim sententias dicunt, Lehman in Prii Speirischen Chronick *lib. 7. c. 124. f. 1016.* §. [illegible] Prælaten.

8. Liberæ Imperii Civitates, S[illegible] Votum in Comitiis (eo enim fine vocantur) & Jus Territoriale in suo districtu (eo ipso quod sunt status immediati) habent: quod de Nobilibus Liberis, nonnulli asserere reau dens. Quamvis multi ipso jure, tantummod Bassam jurisdictionem, sive die Vogteiliche O brigkeit iis competere, indeque eos Vogtsheren

n / & eorum statuta Vogtbücher / indigitari; nec ipsis altam jurisdictionem, sive der Blutbann / aliter quàm singulari concessione competere, eosq; nunquàm in numerum Statuum; neque particulari, neque etiam universali nomine fuisse allectos, putent. De quo meum non est, sententiam ferre.

9. Equestris autem Nobilitatis libertatem, in Franconiâ, Sueviâ & Rhenano tractu, quodque immediatè Imperio nunc sunt subjecti, ortum ex eo habuisse probabile est, quod Franconicus & Suevicus Ducatus (quibus ii Nobiles subditi fuisse videntur) Imperio accreverant Et ita jam Milites ac subditi, immediati, sunt Imperatoris, ut antè Landsassii suorum Ducum.

PARS SECUNDA

LIBRI PRIMI POLITICORUM,

De

Subjectione tractans.

Summi Reipublicæ capitis & potestatis, utcunque explicatâ ratione, & naturâ: jam porrò de *Subjectione*; seu reliquo corpore agendum erit.

2. Subjectio autem, tàm personas subditas quàm etiam res ipsas, pertingit: quæ utpote Personis cohærent, ac sine quibus eæ, benè & feliciter vivere non possunt.

3. Hæcque omnia, non sigillatim tantùm considerari; sed quoque de earum compositione nonnihil dici oportet.

4. Et subditæ quidem personæ considerari debent; vel quatenùs à natura loci mutantur vel quatenùs Mariti, Uxores, Patres, filii, Domini, Servi, Cives, Incolæ, Hospites sivè Peregrini, in Civitate; vel etiam eminentioris aut inferioris conditionis, existunt.

CAPUT XII.
De
Naturâ Populorum.

VEruntamen omnium primò, qualis naturâ Populus sit, cui imperitatur, cognoscendum est: cùm ad varios gentium mores & inclinationes, Civitatis cujusq; Leges & formam conveniet accommodari. Hæcq; inprimis varians inclinatio Populorum, miram illam varietatem Reipublicæ formarum ipsiusque imperandi rationis, efficere videtur.

2. Imperia autem, & studia hominum (causas naturales & externas quod attinet) à situ, sedeque Regionis præcipuè formantur, & pro

loc-

locorum mutantur diversitate: nam & secundum eam aër, Cœliq; & terræ (ac ita etiam alimentorum) qualitates, variantur.

3. Sicque frigida qui Septentrionis inhabitant loca, illi quidem animosi existunt; intelligentia tamen & arte, minùs sunt solertes: cùm enim propter antiperistasin, calor ita placidè foveatur, ut nec humidum radicale consumat; copiâ indè sanguinis abundant, & animosi redduntur, staturâque eminentes, & ex eo libertatis appetentiores habentur. Nisi ubi frigus nimis est intensum, & quasi adurens: eamque ob causam in Zonâ polari habitantes, minoris staturæ conspiciuntur. Quia item Septentrionales, spiritus non habent subtiles, neque Melancholia suppetit, in Mechanicis magis, quàm contemplativis scientiis excellunt.

4. Meridionales, ut intelligentes & artificiosi; sic quoque parùm animosi videntur: habent enim poros patientiores, ac sanguis ob circumstantem calorem sublimatur quasi; eoque minuitur, & multum Melancholiæ generatur: quæ ad contemplationem apta magis existit, & quod ei imprimitur, diutiùs retinere solet.

5. Medio terræ, salubris est utrinque mistura: Sicque Græcia, Italia & Germania, aliæq; Provinciæ vicinæ, civiles maximè sunt, & ma-

gna Imperia artibus politicis gubernarunt.

6. Porrò & in uno climate quoque, inter montanos, campestres, convalles, maritimos, insulanos &c. magnam licet morum cernere variationem. Montes etenim (ut & turres sublimiores) semper frigus habent; quamvis vel tempus, vel situs ratione exuperet calor. Campestria vicissim, etiam in frigidioribus aliâ locis, temperie gaudent: ibi enim Solis radios non impediunt montes. Sicque Helvetii magis sunt meridionales, quàm Angli: & tamen hi Meridionalibus, illi Septentrionalibus Populis similiores videntur. Valles item tepidæ sunt; & tales inveniuntur, quæ optimum vinum ferunt, proximos verò montes nive perpetuâ horridos habent. Maritimi demùm & Insulani, nequiores reputantur, nescio ob politicam, annè naturalem causam; dùm nimirùm peregrinis tàm mercibus, quàm hominibus corrumpuntur.

7. Attaman seminum variæ commistiones ex populorum migrationibus ortæ, mirabiles mutationes producunt. Eamque ab causam Germani, Itali, Galli, Hispani &c. alii sunt, ac olim fuisse describuntur.

8. Tandem ætas & seculorum decursus, animorum inclinationes, omniaq; universim variè immutat. Et Imperia magna, ipsamque

etiam

etiam Religionem, alternatim per orbem quasi circumducit.

9. Hinc in Provinciis, Regnisque plurimis, ingenii cultus barbariei, barbaries eruditioni successit: ut cumprimis in Græciâ videre licet, ubi olim Religio, ars Militaris, omnesque civiles habitabant artes: & inibi tamen nunc, indigenæ, animo & corpore socorditer torpent. Vicissim Germania, quondam Idololatrica, sterilis & barbara, verè nitebat nuper: sed tamen & ea, orbis quæ ocellus deprædicabatur, ad antiquum Chaos pede satis celeri, redire videtur.

10. Ipsa pariter idiomata, temporis lapsu confunduntur, immutantur & mortem patiuntur. Sicque Hebræa seu Sancta Lingua, produxit Chaldæam, Syriacam, Punicam Arabicam. Latina, cum germanicis dialectis confusa, Italicam, Hispanicam & Gallicanam. Ipsa etiam Alimannia, ante sexcentos annos ita loquebatur, ut nunc peregrina planè videretur. Celtica, Cantabrica, vetus Hetrusca &c. omninò ignorantur.

CAPUT XIIII.

De

Societate Mariti & Uxoris.

NUnc porrò de personis subditis, quatenùs

in aliquâ Domesticâ societate vivunt, tractandum erit. Harumque prima, in *Conjugio* est: & id cùm principium sit constituendæ Civitatis, ac perpetuandæ; jam Civem, ut *Maritum* & *Uxorem* considerare placet.

2. Ac quidem Populis olim quamplurimis, conjugiorum, sobolisque magna semper fuit cura. Sicque apud Judæos haut in pretio steriles, multò minùs cœlibes erant; paucique magni Viri eorum, in Historiis nominantur, quos extra Matrimonium vixisse constat. Et Essæi ab uxoribus, vino & carnibus abstinentes, Biblicis scriptoribus recentiores fuisse nonnullis videntur. Licet Josephus *antiquitate* 18 *cap.* 2. Judæos Patriæ sapientiæ studiosos, jam indè à multis retrò seculis, in sectas certas divisos fuisse, dicat. vide Baronium *in Annalib. A.C.* 64. & Augustinum Torniellum, *Anno Mundi* 25, 45, *n.* 13.

3. Romani item, propter utilitatem, ex multitudine populi provenientem, & quia bella assidua quamplurimos indies absumebant, eaque ferè non nisi per liberos & Cives exercebantur; Cœlibes non solùm variè prægravârunt, sed & liberorum copiâ fœlices, multis privilegiis donaverunt.

4 Sicque errare censentur ii, qui cœlibem vitam, conjugio regulariter vel præferunt, vel Matrimonium rem carnalem, & per se non bo-

bonam esse contendunt: ut olim Tatiani, Manichæi, pessimi hæreticorum, aliiq; adhuc plures; contra quos tamen præstantiam Matrimonii egregie defendit Lombardus *4. sent. distinct. 26. cap. quod nuptiæ sint bonæ.*

5. Pariter etiam errant, reiterationem nuptiarum, qui inhonestam esse assertant; ut Montanistæ, & ab his deceptus eruditissimus Tertullianus, ac Leo Imperator *Nov. 1.*

6. Ordinibus quidem sacris jugiter annectunt Cœlibatum Catholico-Romani: sed hos in eo non imitatur Ecclesia Græca; Jurisque tantùm positivi esse, multi concedunt: & etiam dispensationem contrariam, in Concilio Tridentino, Catholici nonnulli status sollicitaverunt.

7. Interim sobolis procreationi, & per eam multitudini Civium, non ita est favendum; ut quis invitus, si castè vivat, ad nuptias adigi queat: aut Polygamia ut adprobetur.

8. Vix autem credere quimus, quod nonnulli dicunt; uxorum multitudinem Judæis omni ex parte licitam fuisse, cùm sit contra primævam institutionem: aut quòd Bodinus alicubi ait, ab Orientalibus non absonè haut licentiam usurpari, quia ibi plures fœmellæ, quàm masculi generantur.

9. Sic pariter Divortia haut libera esse debere, ex Lege Evangelicâ constat: cum Ma-

trimonium, Ecclesiæ cum Christo conjunctionem indissolubilem repræsentet. Adeò ut Catholici, nec ob adulterium totalem separationem admittant. Quod tamen Protestantium Consistoria, & etiam aliis in casibus, sed non sine magnâ circumspectione, concedunt.

10. Insuper Matrimonii authoritas requirit, ut illud non nisi benedictione publicâ, vel aliàs solenni interveniente, perficeatur. Ubi quæritur: an qui post sponsalia de præsenti concumbit, & ante nuptias mortem obit, legitimum filium relinquat? Aut, nùm post talem desponsationem, ante copulationem, ob causas graves, alterutri parti liceat pœnitere? Quorum prius negare, posterius affirmare lubet; vide me, *in decad. 1. consil. 2. & 7.*

11. Moribus item nostris, viciniorumq; populorum, per Nuptias solvitur Patria potestas; ac mulier in potestatem Viri venit. Id quod meliore ratione, quàm juris Romani sanctio contraria, niti videtur. Est enim Maritus Uxoris caput, & is relinquet Patrem ac Matrem, & adhærere debet conjugi suæ: In eamq; etiam potestatem habet.

12. Ob id Viris concedenda est facultas, vel invitas in ordinem redigendi Uxores; quod olim apud plerasque gentes, ad jus Vitæ, necisq; porrigebatur. Sed tamen rectiùs faci-

faciunt; qui jus illud humanitate, non atrocitate circumscribunt,

13. Æqualitas autem in matrimonio ut sit, tàm Religionis quàm status, seu conditionis; tùm & ætatis ratione, opera danda est imprimis: sed hæc cuncta tamen, si non omninò concordant, matrimonium haut solvunt.

CAPUT. XIV.

De Parentum & Liberorum societate.

IN Matrimonio qui degunt, *liberos* ut procreent, unicè optare, nec sine piaculo abortum procurare, conceptionemvè impedire: neque etiam per liberorum expositionem, Civium multitudinem minuere debent.

2. Sicque ii, qui respectu societatis matrimonialis Conjuges dicuntur; propagationis intuitu, *Parentes* adpellitantur. Et ita secundo societas ea habetur, quæ est inter liberos & parentes.

3. Parentum officium vel præcipuè in eo consistit, ut liberi alantur, nutriantur, educentur, ac benè instituantur, Itaque Mater, ut propriis uberibus liberos lactet, jure naturæ obstricta videtur.

3 Debent & defensionem liberis suis, Paren-

rentes: Sicq; ii filiorum suorum, è periculo eximendorum causà, injustum aggressorem, licitè non offendunt solùm, sed & occidunt.

5. Vicissim liberi maximam parentib. reverentiam, obedientiamq; præstare tenentur; idque in præmium generationis. Et verò pars cultus paterni est, ut liberi nutriant Parentes, paupertate pressos, seniove confectos.

6. Eadem reverentia exigit, ut liberi non invitis Parentibus, matrimonium ineant; nec facilè iis nolentibus monasterium ingrediantur: quod utrumque tamen Catholici communiter ferè impugnant.

7. Volunt enim ii, æquum & honestum esse, ut liberi nupturientes consensum habeant Parentum: sed tamen, si Matrimonium solenniter celebratum, aut saltem in præsentia Parochi & Testium, promissum sit; majus indè vinculum nasci putant, quàm ut illud Patria potestas irritare queat. Et nihil omninùs in Galliis, ex Regis Decretis, matrimonia clandestina annullantur: & Petrus Ærodius, quæsitor Andegavensis, *libello singulari*, cum filio, tanquàm fugitivo agit; eò quod ipso nolente, degeret apud Patres societatis.

8. Obedientia verò Parentibus debita, imperio quodam asseritur quam *Patriam Potestatem* indigitamus; quæ more olim Romano, jus vitæ, necisque habebat: sed nunc haut sine magna

magnâ ratione, pedetentim variè succisa fuit; ideò scilicet, ne corrupto hoc seculo, Patres jure tali abutantur.

9. Et nec hodiè severitas ea, quam Mosaica Lex in illos, qui Parentibus maledixerunt exercuit, adhuc usurpatur: sed tales extraordinariâ pœnâ afficiuntur.

10. Vetus etiam Parentum jus fuit, abdicatio filiorum immorigerorum: in cujus locum exhæredatio concessit; quam quoq; Justinianus jure novissimo ad certas causas adstrinxit.

11. Et porrò, secundum consuetudinem totius ferè Orbis Christiani, Liberi emancipati, Patriique juris nexu liberati censentur, quando Parentes ipsis permittunt propriam familiam habere.

CAPUT. XV.

De

Dominis & Servis.

SUccedit nunc Dominica Societas, quæ est inter *Dominum* & *Servum*: ac quidam naturâ servum vocant eum; qui eatenùs tantùm rationis particeps est, eam ut sentiat solùm, vix etiam habere comperiatur. Quo intuitu Aristoteles *in Politic.* ait: Barbaros naturâ servos esse, & ideò libenter ferre dominatum, eò quod sciant obedire, sed non imperare.

2. Lege (*hoc est*, Gentium Jure secunda-

rio, aut etiam Civili) servi sunt, qui bello capti, vel ex ancillis prognati, vel aliter in servitutem redacti fuerunt: putà propter delictum, aut si quis ad pretium participandum, sese venire sit passus.

3. Servi autem, licet olim levissimâ de causâ potuerint occidi: attamen crudelitas illa, in benè constitutis Rebuspublicis prohibita semper fuit. Quin & jura veteris servitutis, inter Christianos, paulò ante Bartoli ætatem, subitò & planè evanuerunt; ut & Christianorum bella, nulla nunc servitus subsequi solet.

4. At quia servitute vix carere quimus; ideò nec ea sublata omninò fuit: sed in rusticis quibusdam ferè hæret, quos vulgò homines proprios, Leibeygene Leuth / oder zu alltäglichen Diensten gesessene Vnterthanen / appellitamus: qui pro regionum variantur more, ac in multiplici differentia sunt; & quorum onera, vel ex consuetudine definiuntur, vel si nimia evadant, pii Judicis officio sublevantur.

5. Servitutis ejusmodi originem, nonnulli ex Taciti *de moribus Germanorum libello* repetunt; sed magis verisimile mihi videtur, illam ex victoriis Francorum contra Alemannos, descendere; qui ex dedititiis servos fecerunt, eosque militibus suis (quos in Castris & Turribus posuerunt: nunc den Adel oder

Rit-

Ritterschafft vocitamus) Monasteriis item, assignarunt; & tū ferre *Fiscalini* dicebantur &c.

6. Quem morem etiam Germani erga devictos Vandalos, Slavosque repetierunt. Cumque hi ultimi fuerint, contra quos talis severitas est usurpata, indè certatim Germani, Hispani, Itali, Galli & Angeli, Slav pro servo usurpant; cùm aliàs propriè Nobilem notet. Ac eo etiam intuitu, Saxones Servum vulgò Lassen vocant, quasi in Provinciâ relictum.

7. Verè autem Servi videntur, qui glebæ ita sunt adscripti, ut invitis Dominis, nec secedere, neque etiam bona immobilia jure mancipi (undè apud nos vulgò Schupfflehen vocantur) possidere queunt; aut qui quotidianas operas præstare coguntur. Illi verò qui annuatim ein Leibhennen / aut post mortem den Haubtfall solvunt; nec alio onere, Domino suo, Ihren Leib: vnd Halßherrn / sunt adstricti, *Libertinæ* potiùs conditionis sunt reputandi.

8. Sanè Christianæ Religioni, servos habere, contrarium non est; modò clementer tractentur. Quin & sunt qui optent, vetus jus servitutis, ex parte reduci; eosque, qui mortem ob delictum, quod Jus Divinum non morte punit, promeriti sunt, in servitutem perpetuam rapi.

CAPUT. XVI.

De
Jure Civium, Incolarum, & Peregrinorum, versantium in alienâ regione.

CONstituta hactenùs est Domus, nunc Domestici in Civitatem sunt introducendi. Et porrò igitur considerandus est subditus, ut *Civis*. Civem verò definio; summâ alterius potestate obligatum, participem communionis Civilium rerum.

2. Et nunc ubique ferè locorum, pro subditis sivè Civibus habentur, qui *Homagium* seu Juramentum Subjectionis præstiterunt: hocq; nec Nobiles, Barones aut Comites (Landsassii) detractare possunt.

3. Dicitur Homagium, sive Hominium, ab Homine: quæ vox pro subdito quoque, aut servo usurpatur; quemadmodum etiam Mann/ pro Vasallo, Leuth pro Servis, Germani olim dixerunt. Sicque Homagium qui præstat, hominem aut subditum alterius agit, seque subjectum ejus fatetur. Nos vulgò Huldigung vocitamus: *hoc est*, pactum fidelitatis, Ein Geding/ trew vnnd hold/ auch Gehorsamb vnd gewärtig zu seyn.

4. Homagium autem, ut subditi detra-

ctare

stare non possunt; ac si id fiat, Cameralibus Mandatis eò adiguntur: ita etiam mutari, vel clausulis durioribus onerari nequit. Ex ejus enim conceptione, qualitatem subjectionis dijudicamus; ac ita apud alios, aliud etiam est, & diversi tenoris.

5. Reputatur verò jus Civitatis, duplex esse: Universale, respectu Imperij totius. Particulare, respectu Provinciæ, vel Præfecturæ; & etiam certæ Urbis aut Pagi.

6. Illud item, & aliâ ratione geminum existit: eoque intuitu, Civis alius est plenus, alius non plenus; quod ex lege vel usu cujusque Civitatis determinatur. Sicque in Civitatibus Imperialibus, soli Patricii olim, verè Cives erant; dictique vulgò fuère Bürger: quia in Turribus seu Burgis, *hoc est*, fortioribus ædificiis (quorum adhuc alicubi vestigia reliqua sunt) habitabant: quô adversus plebem, vel etiam tempore Civilium factionum, tutiores essent. Reliqui Eynwohner/ Beysessen/ aut etiam Pfalburger vocabantur.

7. Et adhûc etiam, in Polyarchico statu, alia divisio subditorum fieri debet: quâ alii sunt Cives imperantes, qui in Republicâ dominante jus Civitatis habent; alii cives subditi, qui sunt in Provinciâ vel Municipio, dominanti Reipublicæ, jure Monarchico subjecto. Ita Romæ olim, alii fuerunt jure optimo maximo Cives; alii Municipes, alii Italici Juris,

alii Coloni, alii Provinciales. Sic & hodiè Poloni, Turci &c. imperitant: Livoni, Græci &c. subjectionem patiuntur.

8. Sunt præterea Cives vel naturales, quos origo facit vel adlecti, qui aliundè ad Civitatem accesserunt: eosque lubenter, maximè recipiunt ii, qui Imperii amplificationi magis, quàm tranquillitati student. Sicque Romulus Regni sui amplificationem affectans omnibus confugis, asylum aperuit; & eo etiam intuitu, Aula Turcica *Portæ* titulo tumet. Vicissim in Imperialibus Civitatibus, sedatiorem statum amantibus, vix advenæ admitti solent.

9. Spuriis ac nothis magis est, ut jus Civitatis largiamur, quod habet Mater: eosque cum Lege Mosaicâ adeò non excludimus à civili cætu, ut nec infamiâ aliquâ laborare eos reputent nonnulli.

10. Honorarius Civis est, cui honoris gratiâ tribuitur jus Civitatis: ut Romæ, Venetiis & in Helveticis Civitatibus fieri solet.

11. Commorationis jus, aut Domicilii aut hospitii est; illud Incolas, hoc peregrinos facit quorum utrique, ad certa quædam Reipublicæ onera, obligantur.

12. *Incolam* appellamus; qui Domicilium absque Civitatis jure alicubi habet: quorum numerum in Civitate minùs frequentem esse

præ

præstat; & inprimis extraneorum Collegia, non facile sunt admittenda. Sicque Hanseaticæ Civitates in Norvvegiâ, Angliâ & alibi; Veneti & Galli variis in locis sub Turcico dominatu Collegia habent: Antuerpiæ verò hoc idem Turcis denegatum fuit.

13. Anne autem in Rebuspublicis Christianis ferendæ sint Judæorum Synagogæ? Hoc certo modo communiter affirmatur. Hispania quidem, Gallia & aliæ Provinciæ, Judæos non patiuntur, sed tamen ipsa Roma, atque Vienna, eos admittunt: Quod & S. Pauli traditioni *ad Roman. 11. vers. 30.* consonum esse videtur; inprimis propter spem conversionis, ipsis specialiter promissam; & quia specula sunt iræ Dei, ac luculentum argumentum Divinitatis nostri Salvatoris præbent. Non enim ulla unquam gens taliter benedicta, nec etiam ita punita fuit.

14. *Advenam* indigitant eum, qui transeundi solùm, & hospitandi commoditatem quærit: quorum oppressioni, in Sacris literis certæ prænunciantur pœnæ: licet Chinenses & Moscovitæ, ex politicâ quâdam ratione (ne scilicet Regni arcana explorent) eos soleant arcere. Sicque etiam Mendicos vagos & exterros, non planè excludendos censerem, vel invitâ Theologorum quorundam publicâ contradictione, arg. *Matth. 26. vers. 11.*

 15. Ve-

15. Verùm etiam Peregrini, Statutis & Legibus Civitatis (quatenùs eos concernunt) parere, & secundum illas vivere tenentur. Majestas enim in omnia, quæ in suo territorio, & quamdiù ibi sunt, imperium exercet.

16. Ita Peregrini, in loco Contractus (sibi inveniantur) inprimis autem in loco delicti perpetrati, sortiuntur forum: ad eumque olim ex necessitate, nunc ferè Vicinitatis tantùm jure (auff einen Reverß) illûc remittuntur.

17. Et consequitur Judex loci, jus puniend delinquentem; etiamsi is ipso dignitate majo existat. Ita olim Conradinus Sueviæ Dux, Nea poli; & Maria Scotiæ Regina in Anglia hoc prætextu capite plexa fuit.

CAPUT. XVII.

De

Subditis, quatenùs unus al tero eminentioris est con; ditionis.

ALia nunc Subditorum divisio, subsequitur quâ alii eminentioris conditionis, alii inferioris existunt.

2. Et quidem eminentioris condition Subditi, vel sunt officii ratione in aliquâ dignitate constituti; vel aliàs sui naturâ cæteris præferri debent.

3. *Officii* ratione excellunt : Ecclesiastici, Consiliarii ; vel qui aliâ quâdam ratione, Reipublicæ negotia insignia procurant; vel in Aulâ locum obtinent præclarum. Sanè magnorum olim Principum Officiales, etiam perpetuam Nobilitatem acquirebant. Indeque Schenck/Truchsäß/Marschalck/ Keller/ etc. nobilia & hæreditaria nomina facta fuêre.

4. Qui sui naturâ eminentiores censentur, perpetuam, seu ad hæredes transitoriam ; vel temporariam, seu cum vitâ desinentem obtinent *Nobilitatem*.

5. *Perpetuam* habent Nobilitatem : quibus eam tribuit genus ; quam in benè constitutâ Republicâ, tanquàm seminarium, cùm officiorum, munerumque togatorum, tùm maximè Militiæ ergô habere, Feudaque Nobilibus concedi juvat.

6. Sanè omnes ferè gentes Nobilitatem ex nativitate metiebantur; & tales olim apud Romanos *Patritii* (qui nempè Patres ciere quibant)ut & Nobiles erant(quorum nempè majores Curulem gesserunt Magistratum) Nec ergò curandum esse videtur, quod Philosophi, Poëtæ, Declamatores &c. contra gentilitiam Nobilitatem inducunt. Ac certè Turcæ, qui nobilitatem ex cujusque merito æstimare dicuntur ; nullo modo hoc faciunt virtutis amore: Sed planè politicum subest stratagema;

ut nempè eò magis omnia dependeant à principis judicio, atque nutu; & ne sint, qui propriis viribus atque auctoritate niti, Principi resistere queant.

7. Nomen autem Nobilitatis, quamvis in lariori significatione; etiam Reges & Principes magnos comprehendat: unde Gallicani Reges, illam quoque consuetam jurandi formulam usurpant, *par la foy de gentilhomme*; & Pontifex Maximus, Electores quoque, Viros Nobiles, in literis vocat. Attamen nos hîc, de Nobilibus Subditis tractamus: quorum alibi (ut in Daniâ) nulli; alibi certi sunt gradus. Et nempè quidam Barones, quidam Nobiles in specie ita dicti, quidam Patritii (Domi-Nobiles, aut Stadt-Junckhern) appellitantur: quæ omnia consuetudo docet.

8. Filii antè acceptam à Patre Nobilitatem nati, vix est, ut privilegiis Nobilitatis fruantur: ut nec Rusticus, feudum nobile emens. Hinc & nonnulli, possident Baronatus, nec ideò tamen Barones, sed Innhaber der Herrschafft N. indigitantur.

9. Cumque Nobilitas, non juris aut potestatis sit privatæ; haut ideò plebejus à Nobili adoptatus, Nobilis redditur Uxor autem ignobilis, nobili viro nubens, nobilitatem adipisci censetur; & talis etiam, quamdiù Vidua manet, reputatur. E contrà autem, si Nobilis fœmi-

fœmina ignobili nubat, dignitatem amittit: quia in Familiam Mariti transit. Sicque contraria est Nobilitas servituti: nec ut hæc ventrem sequi putatur, sed tantùm per agnationem propagatur.

10. Quamvis meritò, nobilior reputetur ille, qui utrunque Parentem Nobilem habet: Indeque ad Canonicatus, & Ordines Equestres plerunque haut admittitur is, qui continuum & certum numerum Aviarum probare nequit: Der seine acht/oder sechzehen Ahmen nicht beweisen kan.

11. Litteratura & Doctoreus gradus, nunquàm; ut & exercitium Mercaturæ, non semper Nobilitatis officit splendori: ut Venetiis, genuæ, Florentiæ, Augustæ Vindelicorum &c. fieri assolet,

12. Nobilium Ordo, cùm, ut alia omnia mortalitatis casibus obnoxius existat; exindè opus est, ut indies resarciatur: non proindè deterioris conditionis judicandi sunt ii, qui non divitiis, aliisque inhonestis artibus; sed propter egregias virtutes, Nobiles facti fuerunt. Certè tales homines novos, si antiquiores vituperant, fontem & originem proprii sui generis dehonestant.

13. Nobilitas *temporaria*, seu ad hæredes non transitoria; ea vocatur; quam habent Equites Aurati (quæ sane dignitas, tàm honesta

olim reputata fuit, ut nec Reges eam assumere dedignarentur) & Comites Palatini (qui spurios legitimant, famæ restituunt, insignia conferunt. Notarios creant &c. eaque potestas ex singulari quandoque gratiâ, ad hæredes transit: aut etiam Academicis Collegiis confertur) hisque Doctores inprimis Juris, & Legum maximè Professores, aliique consimiles &c. accensentur.

14. *Milites* itidem, propter summam armorum necessitatem, eminentioris quodammodò conditionis censentur; ac in Jure veteri, quàmplurima ipsis data fuerunt Privilegia, eaque adhuc durare, autumno omnino.

15. Cùm Respublica, ex solis *Nobilibus* constare nequeat; necesse est, ut inibi quoque plebei sint, vel subditi inferioris gradus: putà Mercatores, Artifices, Agricolæ, Pastores &c. Quorum dignitas seu prærogativa, non semper ex necessitate, sed magis ex artis ingenio & subtilitate æstimari debet.

CAPUT XVIII.

De Subjectione Rerum.

DE Subjectione Personarum hûcusque disputatum fuit; nunc *Rerum* (quatenùs à Politico considerantur) aggrediar inspectionem: quarum aliæ publicæ sunt, aliæ privatæ.

2. Pub-

2. Publicæ iterum ſubdividuntur; quædam enim communes ſunt hominibus cunctis: quoad uſum & proprietatem; licet ad eas imperium Populi, in cujus territorio ſunt, aliquo etiam modo (maxime ad illum uſum conſervandum, & moderandum) ſeſe extendat.

3. Eaque ratione Publica ſunt; Aer, Mare, littora maris. Sicq; aëre nemo prohiberi poteſt: & inde uſq; ad cœlum ædificare licet. Sic inventa in littore, inventoris dominio cedunt: ut & Inſulæ, vel de novo natæ, vel cùm ante incognitæ erant, nuper inventæ. Veneti tamen dominium Adriatici Maris, jure præſcriptionis ſeſe obtinere jactant.

4. Quædam porrò res, reſpectu ſolùm aliquorum, publicæ dicuntur: putà, vel totius alicujus populi & gentis; vel etiam unius Urbis. Sicque publica & quaſi populica (proprietatis ac etiam juriſdictionis ratione) cenſentur; Flumina, Portus, Viæ, Heerſtraſſen/ ꝛc. earum nibilominus uſu, omnibus hominibus exiſtente communi.

5. Publicæ res, unius Urbis reſpectu, res Univerſitatis vulgò dicuntur: ut ſunt Theatra, Plateæ, ædificia ac ſpacia publica, paſcua &c. Earumque proprietas ad univerſos, uſus verò ad ſingulos cives ſpectat: & quas ideò Principes Cameræ ſuæ vindicare, nec debent, nec

possunt; eâdem planè ex ratione, quâ nec privatis res suas adimere licet.

6. Res sacræ, Diis, sc. Superis; Religiosæ Diis inferis consecratæ: ut & Sanctæ (h. e. legali sanctione cæteris prælatæ) in nullius quidem bonis esse censentur: attamen Sacræ atq; Sanctæ publicis partim, partim Universitatis Religiosæ verò, privatis rebus à nonnullis ac-censentur: cum illæ sint & maneant aliquo modo sub imperio civili; in his autem, privati quoddam sibi jus retinere videantur,

7. At hodiè non ampliùs utimur privatis, sed publicis sepulchris, quæ Dormitoria sive Cæmiteria vocitantur: eaque non Religiosa, sed sacra potiùs (præsertim apud Catholicos, Da man sie weyhet) dici queunt. Itemque loca illa Sancta dici possunt, Da man einen Burgfrieden anschlaget: ac ubi, si quis (dolose) delinquat gravius, quàm si hoc idem alibi fecisset, punitur.

8. Res privatæ; quædam in patrimonio sunt Reipublicæ vel Principatus, aut etiam Collegiorum &c. gemeiner Landschafft oder Stadt/ &c. Wie auch des Fürsten Kammer-Güter (quorum hæc postrema domanium, dos aut bona Coronæ dicuntur) Quædam sunt singulorum, merè que privatæ: vel Principis putà (non ut talis, sed ut Theodosij, Justiniani, ac hodie Austriæ Archiducis &c.) aut sibi subditorum.

9. Quod-

9. Quodque differentiam facio, inter res Universitatis (de quibus suprà *num.* 5.) & Reipublicæ, sive Urbis patrimoniales; hoc & juris nostri Interpretes agnoscunt, cum dicunt: de his Civem, non verò de illis, testimonium perhibere posse.

10. Errant autem omnino illi, qui cum Novatoribus quibusdam, rerum omnium communionem, & frequentiùs seditiosè introducere volunt: cùm ut illa statui primævo adæquata, ita eam natura nostra perversa, vix pati posse videatur.

1. Verùm, licet dominium rerum privatarum, non sit in Majestatis potestate: ea tamen pro Imperio cavere potis est; quomodò, ac ne quis re suâ malè utatur. Quo intuitu dici solet, omnia quoad imperium ac Jurisdictionem Principis esse: tenditq; ea potestas, ad tuitionem, rerum etiam privatarum, earumque ordinationem, ne noceant Reipublicæ, & communi conversationi.

CAPUT XIX.

De

Familiâ, Collegio & Academiis.

DE Personis & rebus singulatim perpensis, pro instituti ratione satis: nunc de earum *compositione* agetur.

2. Sim-

2. Simplices societates (conjugalis nempè, Patria & Dominica) si adunentur: societates indè exsurgunt ortæ. Hæque vel particulares & paucorum cætus; vel Universitas existunt. Societas particularis, Familiam & Collegium complecti censetur.

3. *Familia*, est unius patrisfamiliàs, herili imperio subjectorum, earumque rerum, quæ ipsis propriæ sunt, gubernatio recta.

4. Familiam autem, non faciunt duo, sed ad minimum tres requiruntur: Uxor, Maritus, servus.

5. Unam item domum, sive Familiam unam, nunquam constituere Rempublicam reputatur. Sic Abraham ille credentium pater, familiam licet aleret ita copiosam, ut etiam cum Regibus pugnare fuerit ausus: non tamen in eâ Rex fuit. Toto enim genere, Imperium Regiũ à familiari differre putatur: licet inter se habeant dissimilitudinem quandam.

6. Familia, interdum quoque sumitur pro Gente, seu serie agnatorum: quod & faciunt nostri Germani, qui eodem in significatu usurpant vocem, Hauß oder Geschlecht. Quæ porro in lineas dividuntur: v. g. das Hauß Sachsen/ so in die Churfürstlich: Coburgisch/ Aldenburgisch/ vnd Weimarische Lini abgescheiden.

7. Nomine autem Familiæ, Cippi sive agnationis &c. fœminæ quoque comprehendun-

duntur (maximè innuptæ) nisi ex præsumptâ loquentium mente adpareat diversum. Nunquam verò ex fœminis prognati.

8. Familias autem (nobiles & patritias inprimis) conservari, Reipublicæ interest maximè; ejusq; conservationis gratiâ, introductæ sunt Fœminarum renunciationes, Primogenituræ, Majoratus, Fideicommissa familiæ (Erb-Stamm-Güter/Stammeygenthumb) pacta seu statuta Familiæ Feuda, restrictiones nimiæ dotis, prohibitiones alienationis, & hypothecationis, retractus &c.

9. Cives in *Collegia* certa distribuuntur, secundum similitudinem studiorum, & officiorum; iisq; sine Collegiis, licet constare Respublica possit; talia tamen ut sint, usus publicus urgere videtur. Non solùm enim hac ratione in Democratico statu, commodè magis cum Civibus agi potest: sed & multifariè utile est, cuilibet artificio committi cognitionem, ad id pertinentium rerum, vulgò Zünfften / Innungen (quasi Einung) Gülden &c. vocant.

10. Hincque Legislatoribus placuit, ut opifices, aliique sodales, in suis Collegiis habeant aliquam formam Jurisdictionis; ac quoque condendorum statutorum ac Ordinationum facultatem iisdem concedunt: dùm ne aliquid ex publicâ lege corrumpant, vel sibi commissæ administrationis limites egredtantur.

tur, nec ea monopolium, aliamvè sapiant iniquitatem.

11. Unus quidem Collegii jus tueri potest: sed ad Collegii societatem constituendam, ut minimùm tres requiruntur. Quod secùs est in iis, qui ratione officii, putà tutelæ, Magistratus &c. sunt Collegæ.

12. Forma Collegii, ipsa inter se unio Collegarum, & ad mutua ac debita officia (secundum pacta conventa) obligatio statui solet. Plerumq; etiam ibi est arca communis: cujus reditus, Collegio (præter delictum) dissoluto, Collegis cedere videntur.

13. Inprimis autem collegia, minimè pro cujusque lubitu, nec nisi ex legib. publicis habere licet: nam facile exinde seditiones exorirentur. Idque ne fieret, Caralus V. Imperator, multis in Liberis Civitatibus, Tribunitiam potestatem abrogavit.

14. Inter Collegia licita, atque necessaria, vel maximè literatorum consociationes (quas ferè *Academias*, aut etiam Universitates, propter studia omnium disciplinarum, quæ ibi vingent, vocamus) referendæ videntur: quibus nunquàm ferè carere potuit terrarum orbis.

15. At constant Academiæ, rebus & Personis. Ad illias refero ædes, reditus, & si quæ alia inibi necessaria sunt. Sicque omninò ad perpetui

petuitatem & benè esse, talium scholarum, necessarium videtur; ut reditus sint immanu, ab illis constitutorum administratorum, nec aliundè solvantur.

16. Inter Personas, primus occurrit Rector, qui est executor Decretorum Senatus; quiq; in Germaniâ fere à Professoribus (non ut in Italiâ à studiosis) eligi solet, & ex numero Professorum; vel etiam Generosorum & illustrium studiosorum. Ejusque officium, rarò perpetuum est; ne unius lectiones semper impediantur.

17. Hunc Cancellarius sequi solet: qui vel Pontificis Max. (cujus olim auctoritate Academiæ confirmabantur) vel Episcopi (nunc verò apud Protestantes, Principis, qui jura Episcopalia habere censetur) Vicarius est; ad eumque ideò appellationes, à Rectore devolvuntur.

18. Et porrò, quatuor plerumque Facultates Academiæ complectuntur: quarum singule sibi eligunt Directorem, seu Decanum: ferè enim quælibet Facultas, decem Professores habebat, qui totam diem legendo absumebant, ac etiam unâ horâ, de eadem materia alicubi duo profitebantur (æmulationis excitandæ ergò) qui Concurrentes dicebantur; quod maximè in Italiâ fieri solebat.

19. Inter illas Facultates Theologica meritò

ritò primum obtinet locum; post eam Jure-consulti, tùm Medici & deniq; Artium Professores subsequuntur. Licet Parisiis, Philosophi primarium obtineant locum.

20. Hi omnes ab Academico Senatu eligis à Fundatore verò confirmari debent. Cum enim competat ipsis Collegii jus, penes eosdem electio esse debet: ut etiam in Ecclesiis Collegiatis, Patronus haut nominandi facultatem habet.

21. Ad Potestatem Academiis concessam, pertinet præcipuè facultas dignitatum scholasticarum conferendarum: ita ut Bullati Doctores, ex sententia quorundam, non iis per omnia Privilegiis, quibus Academici gaudere reputentur.

22. Infimus autem honorum scholasticorum gradus est, Baccalaureorum (aut ut alii volunt, Battalariorum) post hunc Philosophiæ Magistrorum: & tandem in tribus superioribus Facultatibus, Doctorum. Alicubi autem, etiam Doctores Theologiæ, Magistri indigitantur: ac item in illis quoque tribus Facultatibus, Baccalaurei creantur.

23. Gradus hosce, circa tempus, quo Petrus Lombardus, illud sententiarum famosum opus conscripsit, Jusque Cæsarium ab Irnerio reductum fuit, initium sumpsisse, probabile est. Eosque (secùs ac Carolstadius, similes-

milesque Fanatici volũt) licitè recipi, ac conferri posse, vix probabilem dubitationem admittit: quamvis ex humilitate, Viri etiam magni illos repudiarint,

24. Verùm, cùm eos, qui docendo ejusmodi inserviunt Scholis, tùm & ipsos studiosos, omnesque qui membra ejusmodi scholarum dici merentur; honoribus variis, præmiisque ac inprimis immunitatibus, & privilegiis certis, optimè quæq; institutæ Respublicæ sunt complexæ. Non solùm, ut in majori tranquillitate, studiis suis inservire queant, aliique ad literarum cultum, eâ ratione invitentur: sed & quia ii, qui studiis in totum sunt addicti, ferè negligunt rem familiarem.

25. Insultant ferè Privilegiis hisce, Aulici, Milites, aliique: quin & literati, cùm ferè nec probi magis, nec aliis sint prudentiores, interim verò tumeant scholastico fastu; semet & studia, odiosa reddunt, Privilegiorumque diminutioni ansam præbent.

26. Insuper & Jurisdictio quædam, ejusmodi scholis est annexa, quam ferè Rector exercet; eamque etiam ad criminales extendunt causas, ex notissimæ *auth. habitâ.* sobrio intellectu. Ea autem, non territorii jure, sed in certas tantummodò competit personas: Undè si quis non studiosus, in ædibus etiam Aca-

demicis publicis, delinquat, haut animadversio ad Rectorem pertinebit.

CAPUT. XX.

De Jure Universitatum, Territoriis, ut & Republica ac Civilitate.

SEd nunc de *Universitate*, ita in specie ac propriè dicta, dicendum erit; quæ etiam communitas, sive Gemeind/ indigitatur. Estque omnium Familiarum, Collegiorum, corporumque ejusdem loci, juris communione, Civiliumque commodorum sociata multitudo.

2. Talem Universitatem, triplicem faciunt nonnulli: unam largam, qualis est Provincia; alteram minùs largam, ut est Oppidum vel Urbs; tertiam, minimam, ut est castrum & Villa seu pagus.

3. Oppidum vocamus, quod est Urbe minus. Et multis in locis, ac in Germaniâ etiam olim, Urbis seu Civitatis nomen non mereri putabatur ille locus, qui Episcopo carebat.

4. Urbs porrò, alia Metropolis est (cujus Episcopi dicebantur Metropolitani) alia à Metropoli pendens. Metropolis appellatur, quasi Mater & caput reliquarum, quæ etiam in sacris literis Filiæ vocantur, Ejusq; consuetudi-

tudinem, & etiam Imperium quandoque, Urbes aliæ minores sequuntur.

5. Ejusmodi autem Universitates, non solum bona, res, privilegia & alia jura; sed & officiales habent, qui ea regant atque administrent. In Jure nostro, Romæ qui erant, Senatores, in Municipiis Decuriones, nunc ferè Consiliarii (Rathsmänner) indigitantur. Quibus ut olim Consules, seu Duumviri: ita hodiè Civium Magistri (Burgermeister) præsunt, ex quibus unus alternatim Civitatem administrat.

6. Ab hisque Administratoribus, Syndici differunt, ad causas agendas constituti. Illi enim universum populum repræsentant: hi verò illorum sunt ministri sive Procuratores.

7. Universitas si contrahat ipsa, vel Concilium eam repræsentans, tunc illam efficaciter obligari dubio caret: non verò exinde particulares, eorumve bona innodantur. Ut & ex Syndici contractu, nec ipsa Universitas obstricta censetur: nisi causa obligationis in rem Universitatis fuerit versa, idque Creditor probet.

8. Delinquitur item contra Universitatem, non verò ea pro Cive agere potest. Ipsa quoque Universitas, delinquere putatur; si hoc fiat ab omnibus, vel à patre majori, habitâ prius communi deliberatione. Ubi tamen pœna

ita est moderanda, ut ad innocentes (infantes inprimis, ac sequioris sexus) directè nullum incommodum pertingat: sed vel capita, auctoresque Criminis, vel ipsa Univeesitas, in qualitate Universitatis; hoc est, ademptione Privilegiorum mœniorum destructione &c. puniri solet.

9. Ejusmodi item in Universitates, Principi vel Reipublicæ principali, Jurisdictio est Territorialis; eæque regulariter, Imperio mero atque mixto destituuntur, nec id nisi Privilegio singulari vel concessione habent. Suntque in Germania, Civitates Municipales, quæ vulgò mixti Status vocari solent: quæ sua nempe jura, partim ab Imperatore, partim à Domino Territoriali (von ihrem Landsfürsten) acceperunt,

10. Quamvis autem Universitates (jura Reipublicæ non habentes) careant Jurisdictione: possint nihilominus eæ condere statuta de his, quæ Universitatis, vel eorum Deputatorum administrationi sunt commissa.

11. Nil etiam impedit, quò minùs Universitates suo jure, ad onera Universitatis sustinenda, Collectas & gabellas colligere ac indicere queant. Idque non fit vi Jurisdictionis, sed ex pacto & conventione eorum, qui in communem habitationem convenerunt: ac etiam jure ipsis concessæ administrationis, cujus

jus particularibus necessitatibus, hâc ratione subveniri solet.

12. Rerum Universitatem, *Territorium* appellant: quod hîc sumitur pro certo districtu Jurisdictionis; unde id nonnulli, à terrendo deducunt.

13. Idque non est semper continuum, seu conclusum; sed quandoque aliarum Rerumpublicarum Provinciis, locisque exemptis interruptum: & indè aliud habetur *in*, aliud *de* Territorio esse.

14. Territoria, varios terminos habent: montes sc. stipites, mare, fluminum ripas &c. Hocq; posteriori in casu; in Flumine ipso, usq; ad medium Jurisdictio erit utrique.

15. Hicq; quàm plurimæ intricatæ quæstiones occurrunt: An nempe die durchführung der Maleficanten / auch die Nacheyl zu egestatten? Quis item habeat cognitionem, si in finibus quis sit occisus, ut corpore utrumque territorium tangat; aut si quis in aliquo territorio existens, quempiam in altero stantem bombardæ pilâ petat &c.

16. Ex hisce societatibus, & rebus, *Civitas* proprie ita dicta, seu *Respublica* constituitur: quæ & interdum populi nomine denotatur.

17. Civitas, si ratione magnitudinis consideretur: simplex alia, alia composita vocari potest.

18. At quemadmodum Respublica, in uno Oppido, vel Pago interdum existit; ut est Ragusa in Epiro, & in Helvetiis Pagi, atque aliæ parvæ Civitates: nec minus tamen Reipublicæ nomen meretur, pariter ut musca æquè animal est, ac Elephas vel Equus.

19. Sic & pari ex ratione, Civitatis vel Reipublicæ nomen, haut Imperium illud amittit, quod Urbes ac Provincias quāplurimas comprehendit. Quale est Turcarum, Hispanorum, & olim Romanum &c.

20. Ratione insuper quantitatis, alia Respublica potentior, & sublimior aliis existit: quo intuitu Theologi atq; Historici, quatuor numerant (ac etiam ex Prophetâ Daniele eruunt) Monarchias: seu quatuor potentissima Regna, quæ successivè μοναρχεῖν, seu solùm præ cæteris quasi imperare visa fuère; putà Assyrium, Persicum, Græcum, Romanum.

21. Quorum postremum, Romę fundatum, pôst in Græciam translatum fuit; ejusque jura, porrò ad Francos, tandem ad Germanos pervenerunt: qui ἀξιώματα obtinent ultimæ Monarchiæ: ut jam monui suprà *cap. 11. nu. 18.* Idque nunc Hispani affectare dicuntur.

LI-

LIBER. II.

De
Conſervatione Civitatis agens.

CONſtitutione Reipub. abſolutâ; nunc quomodò ejus partes, officio ſuo probè debeant fungi, reſtat ut dicam, Ubi omnium primo tractatio de *conſervatione* Reipublicæ occurrit: quæ ſarta tecta conſervanda eſt, tâm à periculo corruptionis internæ, quàm à vi externâ.

2. Conſervatio Reipublicæ *interna*, in eo conſiſtit; ut (1.) ſubditi, benè recteq; regantur: & tum etiam (2.) ut Status, ac forma Reipublicæ, à corruptionis labe protegatur.

3. At *gubernatio ſubditorum generatim* in eo conſiſtit (1.) ut ſubditi conjungantur invicem per concordiam, nec inter eos Factiones exiſtant. (2.) ut adjungantur Imperantibus omnes, contentiq; ſint ſtatu præſenti: & item (3.) ut ſalus atq; Bonum publicum, chariùs utriſq; ſit, quàm privatum; neque vel ſua commoda, vel cupiditates ſequantur.

4. Verùm *gubernatio ſpecialis*, tùm animi reſpicit informationem, ac directionem, tùm alimentorum & pecuniæ (tàm publicæ, quàm privatæ) ſuppetenrem copiam requirit: tùm

& curam corporum subditorum, vivorum æque ac mortuorum, complecti videtur.

5. Ad informationem non solùm Educatio pertinet; studia item literarum, atq; Religionis cura; sed & Leges ac quoque Magistratus.

CAPUT I.

De

Educatione, Studiis item literarum, atque Peregrinatione.

EDUCATIO ut curæ sit imperanti, cumprimis necessarium esse videtur: quippe cum eâ deficiente, inanes sint Leges; benè que educatis haut Legibus opus esse videatur. Sicque apud Cascos olim Germanos, plus valebant boni mores, quàm Leges.

2. Ex malis moribus, bonæ Leges quidem nascuntur: sed raró eæ sufficiunt, nisi educatio studiosa accedat. Eamq; inprimis olim Respublicæ antiquæ, sibi commendatam habebant, pessimèque negligi hodiè solet: adeò ut præsagium appropinquantis ruinæ universalis, nonnulli ex eo sumant, quod passim vident pessimam liberorum educationem, indulgentiamque Parentum deplorandam.

3. Alia autem est institutio eorum, qui Principes sunt, vel ad Rempublicam gubernandam

nandam educantur; alia Privatorum, qui ad subjectionem informantur: diversos ob fines utrorumque

4. Principium instituto, omni adulatione carere debet: nec ut jam Principes, sed ut aliquando futuri, sunt educandi.

5. Instituendi verò sunt artibus illis, quibus utrumque, & armorum & pacis tempus rectè possit gubernari: id quod sine literarum cognitione, vix fieri potest.

6. Sed verò literę, non Scholasticè ipsis sunt tradendæ; hoc enim si fiat, plus eos in prudentià politica deficere quàm proficere, exempla haut pauca (quæ odiosa tamen essent) edocere videntur. Indeque nonnulli suadent; ut magnates per discursum & conversationem, de rebus variis architectonicè judicare discant: ac semper juxta se habeant, Viros literatos, simulque prudentes, ac veteres Capitaneos, & Consiliarios pios.

7. Privatorum quod attinet institutionem, placet magis publica quàm privata disciplina, in sapientia & consensu totius civitatis fundata: modò non quasi contagio, condiscipulorum depravati mores, genuinam inficiant simplicitatem.

8. Prohibenda insuper omnia sunt, quæ juventuti scandalum præbere, vitiorumque occasiones suppeditare queunt; ut sunt Lu-

panaria (quæ tamen majoris mali causâ, in Italiâ, & alibi tolerantur) Bacchanalia (ubi non solùm vestes contra Divinum præceptum mutantur; sed & simulatæ stultitiæ occasione, turpissima, & planè scelesta quandoque perpetrantur) ac item ex sententiâ quorundam, Scenici ludus (ubi vitia repræsentata sæpiùs discuntur) & quoque Saltationes; quæ olim corporis exercitiū, nunc libidinum plerumque sunt incitamenta.

9. Cumprimis autem Virtuti serviunt *studia literarum*, maximè ex vetustiorum Græcorum & Romanorum Sapientum instituto, si tractentur: ac nempè ad publicam utilitatem magis, quàm ad privatam delectationem si accommodentur.

10. Sed tamen non eo solùm fine, literę sunt discendæ, ut nos alant: sed ut omni statui prosint, vel saltem per totam vitam, honestam recreationem præbere queant.

11. Adhibenda itidem est cautio; studia ne passim permittantur moribus nociva, ac blanda quidem, non tamen salubria continentia: qualia magnam partem sunt lasciva poetica figmenta, & adhuc magis Amadisii, fabulæque similes aliæ; quæ vanam omninò, nec ingeniosam delectationem præbent.

12. At si literas promovere velimus, non modo juvenibus; sed & Præceptoribus subsidia ne

dia ne desint, opera danda erit. Quâ in parte Catholici nos superare videntur, qui Collegia habent Jesuitarum, Oratoriæ congregationis, ac Monasteria item quamplura; ubi commoda occasio meditandi, laboriosaque opera in lucem edendi, præberi solet.

13. Studia literarum, reformatione indigere, multi putant: id ut non abnuerim in totum; ita magis solet, ea a prisca integritate indies recedere magis. Ac Prudentis insuper esse videtur; noscere mundi vanitatem, nec tamen adstipulari iis, qui ei curiose mederi volunt.

14. Certè nunquàm cum præcipiti applausu audiendi sunt ij, qui novas didacticas procudunt, artemque memoriæ, vel Lulli venditant pansophian: aut etiam, qui authores & interpretes priscos, è manibus excutere student; ut v. g. in Philosophiâ Ramus, in Medicinâ imperiti Paracelsistæ, in Jurisprudentiâ antinomiarum extricatores, & Triboniano mastigæ; in Theologiâ Hæretici, ac imprimis Phannarici satagere solent: ut & tandem compendiorum inconsiderati procusores sunt detestandi.

15. Studiis literarum succedat inspectio peregrinandi: estq; *Peregrinatio* non improbanda in eo, qui corporis & animi ratione, ejus est capax si modò rectè instituatur.

16. Nem-

16. Nempe si non Regiones tantùm inspiciantur, & externa; non item Ceremoniæ vanæ solùm addiscantur: sed re condita magis quæ sunt, in ipsa politiâ, indagentur; neque exindè acquisita prudentia, ad statum nostræ Reipublicæ convertendum usurpetur.

17. Sanè Machiavellus *in discursibus suis*, felicem prædicat Germania nostram; quòd exterarum nationum careat conversatione. Hocque monitum cùm neglectum fuerit seculo nostro, exindè novæ indies subpullulant exactiones, reputatio parùm prodens, sed carò constans: ac quod pernitiosum præ omnibus est, amicitiæ ac correspondentiæ quas vocant, cum Magnatibus externis: magnitudini Imperii nostri inimicis, Germaniam passim invaserunt.

CAPUT. II.

De Religione.

PIetatem & *Religionem*, Rerum omninò publicarum fundamentum firmissimum esse: fallique, qui humanis tantum Imperijs, non ultionis Divinæ metu, Respublicas contineri dicunt, Legumlatores & Philosophi statuerunt plerique omnes.

2. Etenim ſi obedientia tantùm adſit externa, præmij vel pœnæ metu procurata; nec conſideratio eorum, quæ poſt mortem futura, Divinique numinis reverentia, excitet vel terreat cives; Reſpublica gubernari non poſſe videtur: eamque ob cauſam, in Reſpublicis benè conſtitutis, Athei ſemper puniti, vel odio habiti; cultusq; Religioſus, vel verùs vel falſus, in uſu fuit.

3. Hincque Dei loquus Moſes, & pariter etiam Zeleucus, Locrenſium eximius Legislator, legibus ſuis tractationem de Deo ejusque operibus præpoſuerunt: ac multi etiam fictitii numinis cultu, Reſpublicas vel conſtituère, vel conſervare ſunt aggreſſi: ut olim fecit Numina, idemq; de Muhamede proditum invenimus.

4. Nullius autem Dei cultus extitit unquam, optimæ dui politiæ melius conveniat; quàm Religio Chriſtianorum: cum ſummo ſtudio inculcet metum ſuperioris, & ſimul concordiam ſeu fraternam charitatem.

5. Sicque fallit, aut fallitur Machiavellus, qui aſſecla apoſtatæ Juliani, Chriſtianam Religionem, animos dejicere, fortitudinique minùs aptos reddere tradit: quem ſatis reprobant expeditionès Conſtantini, Theodoſii, & Caroli, Imperatorum verè maximorum; Bullionii in Paleſtinam, noſtrorumque Cæſarum

in Vandalos, ac si quæ sunt aliæ magis recentes expeditiones.

6. *Ecclesiasticæ administrationis* partes sunt duæ: institutio Religionis, & custodia institutæ.

7. Circa institutionem cumprimis veritas est consideranda: & verissima porrò censetur, quæ convenit cum literis sacris; institutis item ac traditionibus, quæ illis non contradicunt: & ita antiquissima existit.

8. Nota item, in Novo Testamento à nonnullis deprædicatur quod Catholica sit, quam & nos credere in Apostolico Symbolo profitemur. Sed quid sit Catholicum esse? Theologorum est dijudicare.

9. Judaica quidē Religio, nomine antiquitatis, omnes vincere videri posset; sed tamen à Christianâ, in eo solùm differt, ut à lumine umbra, ut res à spe: ac item quatenus olim vera fuit, salvatorem nostrum venturum expectabat; quo nos nunc fruimur eodem, qui utpote verè advenit.

10. Superstitio verò Paganorum, loco Dei veri Idola colebat, quæ Dæmones designabant, & Angelos nescio quos tutelares. Sicque ex Astrologia, Magiâ, aliisque Dæmoniacis artibus, confusum chaos erat.

11. Saracenica autem, sive Mahumetana, carnalis planè Religio est; quam Photiniani

novis

novis & speciosis coloribus adumbrare, videntur.

12. Post veritatem, studendum est, ut Religio sit una: id cùm sperare forsan fore aliquando, vix liceat; Hæreses (ut jam monui suprà lib. 1. cap. 2. num. 21. 23. & seqq.) non gladio, aliisq; violentis remediis, sed eo modo, quem Christus exemplo suo docuit, extirpandæ; diversæ in Republicâ Religiones quandoque tolerandæ: ac Pacem item Religioni, licet non veræ, datam, servari omninò decet.

13. Ac talis in Imperio Germanico-Romano, Anno 1555. sancita fuit, quæ à tempore Tridentini Concilii finiti, non exspiravit: sub ejusque umbrâ, etiam ii, quos Calvinianos vulgò vocant, diu tutò latuerunt.

14. Occurrunt hîc Quæstiones sat intricatæ, & de quarum decisione, quàm diu non conveniunt Status, vix Bellis Civilibus Germania nostra carere posse videtur. (An nempè Episcopus, aliique Ecclesiastici magnates, ad Augustanam confessionem accedere, simulque ditiones suas retinere possint? (2) An dominia, ad Episcopos, aliosve Status Ecclesiasticos spectantia, Catholicam professionem mutare queant? (3) Quatenus hoc idem Civitatibus Imperii liberis: (4) ut & Vasallis alicujus Catholici Status, concessum videri queat? (5) An Principibus, Comitibus & reditus Monasteriorum territorii sui, post Religio

ligionis Pacificationem: (6) vel eorum saltem, quæ ante Interimisticam sanctionem publicatem, immutata; sed post per eam, ad ritus priscos reducta fuerunt; aliis usibus piis, aut Fisco suo liceat applicare?

15. Antistites item Religionis sunt constituendi, qui Dei merum, & Christi cognitionem, hominum mentibus, docendo & vivendo instillent.

16. Hos, varia ab omni, tempore Privilegia, atque immunitates habuisse constat: eaque impii quidam Politici, iis adimere, ac illos in rusticorum & bajulorum ordinem redigere, perperàm conantur; vid. supra *libr.* 1. *cap.* 2. *n.* 5. *&* 6.

17. Inter eosque, diversos admittunt gradus, si qui ex nostratibus magis sunt circumspecti; nec Anabaptistarum ac Puritanorum approbant confusiones: omnium tamen parem potestatem, ad prædicandum Verbum Dei, & administranda Sacramenta; planeque nullum in Ecclesiâ dominatum agnoscunt. E contra Catholici, Hierarchiam urgent, ejusque caput visibile, Pontificem Romanum esse tradunt.

18. Circa custodiam Religionis, porro etjam est sciendum; piâ cum moderatione, sivè privatim, sivè publicè id fiat, de Religione, licitum esse disputare. Sed interim, pietati magis

gis, quàm acumini opera eſt danda; cùm timor Domini, initium ſapientiæ deprædicetur: omneque acumen, non immeritò culperur, ſi à piâ ſimplicitate ſit diſiunctum.

19. Quis autem Judex eſſe debeat: ſi lis de Religione ſuboreatur, controverſia eſt admodùm controverſa. Catholici quidam Eccleſiæ conſenſum, ſeu Concilium, alii Pontificem Maximum, & quidem ſolum, pro tali agnoſcunt. Ex noſtratibus verò plerique, ſuggerunt S. S. Scripturam: ſed tamen alicubi etiam, Principes hiſce in caſibus, decidendi facultatem uſurpant.

CAPUT. III.

De Præmiis & Pœnis,

QUia autem informatio, perſuaſione quæ perficitur, apud plurimos ſufficiens haut apparet; neceſſe eſt, ut etiam juſſus accedat: qui fit præmii promiſſione, benè facientibus, & comminatione pœnæ, facientibus malè.

2. Etenim, quemadmodùm formidine pœnarum, improbi ac viles, coercentur: ita *Præmiorum* promiſſione, bonorum Virtus accendi ſolet. Quæ ratio apud Romanos, ac veteres etiam Germanos, maxumè obſervata fuit:

at hodiè multis in locis, ut alia quoque adhuc multa, magno cum Reipublicæ damno, negligi videtur.

3. Philosophica quidem perfectio, requirit, ut sollus virtutis amore, bona faciamus; sed ea apud paucos invenitur ac, quia sumptus necessarii sunt ei, qui in luce hominum vivere velit, & etiam præclara existimatio, bonaque dignitas (quam vulgò Reputationem vocant) inde & Viri Civiliter boni, præmia haut contemnere solent.

4. Præmiorum autem ratio, tùm utilitate, tùm honestate est metienda: interdum quoque ex utrisque.

5. Honore maxumè generosi excitantur: ut sunt largitio Nobilitatis, collatio Equestris dignitatis; ac olim Statua, Triumphus, Funebres laudationes &c.

6. Inter præmia, quæ afficiunt utilitate; eminet cumprimis emeritorum pauperum, tractatio liberalis, Soldaten Spital / wolverdienter Ambtleuth Leibgeding: tùm & Uxorum, liberorumque eorum; qui pro Republicâ obierunt, eique fidelia servitia præstiterunt, pia cura.

7. Verùm in Democratiâ, aut Aristocratia, non consultum esse videtur, ut præmia nimia, vel tali cum utilitate conjuncta sint; quibus mediantibus, talem aliquis potentiam ac-

quirere possit, ut Concivibus, vel libertati fiat metuendus. Hicque apud Romanos Magistratus, non nisi annui erant: nec etiam ij Provincias unquam alicui donaverunt: ut posteà nostrates fecêre Imperatores, qui Feudi jure sat opimas ditiones, concesserunt.

8. Præmii etiam maxumi, nec tamen sumptuosi loco est; si Princeps clementer alloquatur suos, ijsque liberum præbeat accessum &c.

9. Porrò Præmiorum distributio harmonica, æquissima reputatur: secundum quam omnibus, sed non uno modo, ea dividuntur.

10. At verò Reipublicæ maximè habetur pernitiosum; si præmia, quorum distribuendorum causa in virtute posita est, indignos sequantur (adulatores putà, gnaviter pocula exhaurientes, lenones, vilioraque officia tractantes.) Eâ namque ratione vel vitia præmiis excitantur, vel utilem Reipublicæ operam navantes, offenduntur.

11. Vitiosè etiam præmia passim vulgantur: dignitas enim & honores vilescunt, si indifferenter omnibus conferantur.

12. *Pœnæ* pariter, multas ob rationes, necessariæ in Republica sunt: ac quidem primò, ut qui fortuitò, vel ex humanâ imbecillitate deliquit, attentior fiat; quæ magis castigatio est quàm pœna.

13. Secundò, ut dignitas, authoritasque

tàm Dei, quàm Magistratus, qui per delictum lesi sunt; vindicetut, & sarta tecta conservetur.

14. Tertia ratio, vindicandi reputatur; cùm punitio necessaria est propter exemplum, ut nempè alii deterreantur.

15. Quibus & quarta addi potest: ut nempè putre politici corporis membrum abscindatur; quique indignum se reddidit aliorum consortio, vel à mundo tollatur, vel saltem relegetur.

16. Ethic causæ pœnarum mitigandarum, eruendæ sunt ex rationum, ob quas eædem infligi solent, defectu.

17. Igitur, quando spes est, ut qui deliquit, seipsum corrigat citra pœnam; aut jacturam dignitatis, in quem peccatum est, metuere non necesse habemus; aut non tale peccatum est, cujus exemplo, necessario metu succurrēdum sit; aut delinquens adhuc in Civitate tolerari queat: tùm Imperans circa pœnam, vel in totum, vel ex parte dispensare potest.

18. Aliud porrò est pœnam ex juridicâ causa mitigare, aliud ex gratiâ condonare. Hoc solus, qui summam habet potestatem facere potis est; illud quilibet Judex haut negligere debet.

19. Vix potest autem tali pœnæ impunitas dari, quæ est juris Divini, aut ubi ipse Deus offen-

offenſus eſt directè: ut in blaſphemiâ, magiâ homicidio &c. fieri ſolet.

20. At in pœnarum pariter, ac in præmiorum diſtributione, harmonica ratio eſt obſervanda: ſicque vita anteacta; ut & nobilitas, ac dignitas ejus: qui deliquit, ſuo modo conſiderari debet. Si namque in eodem delicto. Nobilis & alius, conditionis vilioris, æqualiter punirentur, ille graviori pœnâ afficeretur: plus enim habet, quod per pœnam ſimul amittit; famam nempè & dignitatem, quâ hic caret.

21. Quemadmodum verò Præmia, pro Reipublicæ incremento augenda; ita & pœnæ, creſcentibus delictis ſunt exaſperandæ. Quæ ratio, pœnam furti capitalem, excuſare videtur.

22. Sanè aliàs, nova ſupplitia non ſunt excogitanda; in dubio item mitior ſententia, quando de pœnis agitur, eſt amplectenda.

23. Ac porrò artis multò majoris eſt, ſi Politicus efficiat, ne facinora perpetrentur; quàm ſi patrata condignis ſuppliciis afficiantur. Pariter, ut illi Medici inprimis ſunt commendandi; qui per diætam, aliaſque rationes procurant, ne quis invalidus reddatur: magis ac ſi remediis nauſeabundis, reſtituant ſanitatem.

24. Preſtat item, pœnarum multos eſſe gra-

dus; nec enim quasi per saltum, & non nisi in extremo necessitatis casu, ad ultimum supplicium rectè pervenitur. Sicque infami fustigationi (quæ omne medium, ad frugem perveniendi excludit) meritò præferenda est condemnatio ad triremes, & si quæ alia ratio iniri potest; ut pœna non capitalis, tàm delinquenti, quàm Reipublicæ prosit. Hocque fine, ergasteria, Zucht: oder Spinnhäuser / opera publica &c. salubri consilio instituuntur. Nec spernendus est Turcicus mos, qui verberibus sat sævis, absque infamia tamen, cædunt levioris delicti reos.

CAPUT IV.

De

Legibus.

POEnæ & Præmia, ut & alia in Republicâ, á Magistratibus sunt distribuenda: cùm verò omnia sint incerta, quando à jure est discessum: meliùs censetur pœnarum, præmiorumq; distributionem *Legibus* certis, quàm mero Judicantis officio committi. Judicium quippe humanum, non vagum solum, atque difforme; sed & affectibus non raro obcæcatum esse solet.

2. Leges verò ita conscribi decet, ut ab omni-

omnibus intelligantur; & nec ullâ ex parte obscuræ, ac quoque ut breves fient: quales erant Moysis Solonis, & illæ XII. Tabularum. Estque indicium morum depravatorum, perniciosissimæque litium multiplicationi ansam præbet, aliter si fiat.

3. Sunt autem leges vel Naturales, vel Positivæ. Et quidem naturales; vel nobis cum brutis communes, vel nomini ut homini, ipsâ rectâ ratione dictitante agnascuntur: Jus Gentium primævum vulgò vocant, & reliquiæ videntur naturæ, necdum à lapsu depravatæ; undè Juris etiam Divini nomine indigitari queunt.

4. Leges Humanæ, sivæ Positivæ; vel sunt generales, vel speciales. Illas Ius Gentium secundarium appellant; ad conditionem hominis sc. accommodatum, ut nunc est post lapsum, ab omnibus gentibus approbatum. Quo pertinent Dominia, Contractus, Bella, Servitutes &c. At positivæ speciales, ille censentur; quæ à Populo quolibet, vel usu diuturno, vel certâ sanctione sunt approbatæ: ut est Ius Civile Romanum, Atheniensium &c.

5. Leges Naturales immutabiles sunt, nisi quod interdùm per Ius Civile determinantur, arg. *l. off. de just. & jur.* Omnes autem positivæ, eâdem ratione & modo, quo introductæ, iterum commutari queunt.

6. Civiles quoque Leges, ad Populi naturam, ac ad Rempublicam accommodari: neque ſimpliciter optimæ, ſed quæ accommodæ maxumè ſunt illi politiæ, quam Legislator informat adprobari debent. Eâdem ferè ratione, quâ corporibus nonnullis, cibi boni ſucci, & medicamenta aliàs pretioſa non convenire; ſed pernitioſa magis eſſe, experimur.

7. Eandem etiam ob cauſam, politicis ſeu judicialibus Moſaicis Legibus; niſi quatenus ratione naturali nituntur, haut obligantur Reſpublicæ Chriſtianæ.

8 Sunt quippe illæ vel Cæremoniales (quæ poſt adventum noſtri Salvatoris, non ſecus ac umbra per lucis acceſſum, evanueruut) vel Politicæ aut forenſes (quæ unâ cum Republicâ Judæorum exoleverunt) vel denique Morales, jus illud Gentium primævum, naturaleæue humanum repræſentantes Ubi tamen iterum notandum venit; alicubi forenſes ſimul & morales leges implicari. Sicque prohibitio adulterij, furti &c. ex morali, generalique ratione deſcendit: ipſe verò pœnæ modus, in arbitrio Civilis Legislatoris, ſitus eſſe videtur. Homicidio tamen excepto; quod nempè ex talionis æquitate, & primâ poſt Diluvium ſanctione, ſi doloſum ſit, capitale eſſe debet.

9. Legibus porrò latis, naturalite rearum inter-

interpretatio Prudentium desiderat auctoritatem: hincque necessitas cùm Juris Civilis, tùm Judiciorum adparet; quorum neutrum (nisi ratione abusis) vituperari potest.

10. Jus Civile hic voco, artem Juris; Legum nempè, secundum æquum & Bonum, Facto, multiplici varietate circumstantiarum informato, prudentem applicationem; quo intuitu aliud est scire Leges aliud Jurisprudentiâ præditum esse. In eoque consistit, differentia inter Jureconsultum, & legem (in thesi) notitiam habentem.

11. Et sic pertinent ad artem Juris (non solùm leges Romanas, sed & omnium Gentium Statuta, ac consuetudines explicantem, contrahentium item: testatorum &c. mentem eruentem) varia illa, vetustiorum inprimis Interpretum commentaria, tractatus, Consilia, decisiones, Conclusiones &c. & quæ ideò, ut cunque infinita esse videantur; propter multitudinem tamen & varietatem casuum, vix adhuc sufficientia esse; attestare possunt ij, qui in praxi satis sunt versati, & dùm casum in terminis quærunt, sæpiùs sollicitæ inquisitionis fructu, destituuntur.

12. Interim minimè culpandi sunt illi, qui verum eruunt Legum & constitutionum Romanarum intellectum; ad eamque omninò pertinentem antiquitatem investigant. Quod

summo imprimis studio Cujacius, Hotomannus, aliique fecerunt: solùm verò conciliare apparentes longum contradictiones; & quidem earum, quæ in praxi parùm conducunt; operosa & inutilis subtilitas, ac ingeniorum, (quæ alijs studijs, acutiora & habiliora reddi possent) deploranda carnificina esse videtur.

13. Multi etiam processuum abbreviandorum, varias rationes quæsiverunt: nonnulli quoq; Turcas imitandos esse voluerunt; quorum Cadi, verè summariè causas cognoscunt. Sed ut hoc, non nisi in Republicâ dominatu oppressâ, fieri, consultum esse videtur; ita Germaniam nostram, non tàm longævitas litium, quàm deficiens executio sententiarum perdere videtur,

14. Lex porrò justa, licet per tempora, & causâ cessante, justè mutari possit; non id tamen facilè fieri debet, Consultum quippe est, ut Populus Leges pro Oraculis habeat; earumque contemptus, ex commutatione frequentiori oriri solet. Ac ita culpanda imprimis est curiositas eorum, qui Leges (aut etiam aliquid in Religione) temerè immutant.

15. Et leges tandem, in duplici differentia existunt. Aliæ enim sunt forenses, aliæ ad Civilem spectant disciplinam: hoc est Statum, vel etiam mores respicere solent. Illas vulgò

Lands-

Landsrecht / has Landsordnungen / indigitare solemus.

CAPUT V.

De

Magistratibus.

POst Jura, Legesque cognitas, consequens est, ut de ijs dicam; qui vel Juri dicundo, vel Legibus sunt præfecti.

2. Intèr quos primùm occurrunt *Magistratus*, quâ voce propriè denotatur omnis is, qui est cum potestate, sibi à summo Imperio concessâ. Magistrare namque, est imperare.

3. Turpissimum autem est, Magistratus impartiri ex favore, impium, pecuniâ redimere (ferè semper enim qui officium emit, id vendere solet) stultum verò existit, eum eligere, qui vel ob eruditionis, vel aliarum qualitatum defectum, quod munus susceperit, haut noscit.

4. Num verò Senes vel Juvenes; Divites, vel Pauperes, Nobiles, vel Ignobiles ij sint: principaliter in considerationem venire non debet. Senes prudentiâ valent, Juvenes promptitudine expeditionis. Divites sponsorem suæ fidelitatis, patrimonium habent; Pauperes ditari volunt. Sed tamen Virtutes sunt non-

nonnullæ, quæ pauperes magis commendare solent. Quod idem de Nobilibus & Plebis dici posse videtur. Maximè tamen est consultum, ut ex omni statu, ob factiones evitandas, ad Magistratus, aliasque dignitates assumantur.

5. Indigenarum tamen ac Civium, potiorem quàm peregrinorum haberi hac in parte rationem; omnibus ferè gentibus placuisse invenimus. Idque legibus fundamentalib. multorum locorum (ut in Angliâ, Poloniâ, Sueciâ, Daniâ &c.) est cautum. Videturque Princeps, peregrinis nimium fidendo, res novas contra veterem Statum, & Privilegia, moliri; quod tamen pro regulà haberi non debet.

6. Idem homo, pluribus Magistratibus non rectè præest (nisi aliud suadeat Ærarij paupertas) Ut nec is, hîc idoneus censetur; qui vel otij amore; vel odio Reipublicæ, invitus suscipit tale onus: neque item, qui vel ex ambitione, vel lucri studio id affectat.

7. Vir bonus vocatus, ad Rempublicam accedere non renuit; nec etiam officia parva contemnit. Certè omninò Reipublicæ consultum esse videtur, ut gradatim conferantur honores: Sæpe enim Magistratus demùm Virum ostendit: & de eo, qui in rebus gerendis, fidelitatis & industriæ nondum edidit documen-

mentum, sufficiens nùm sit, oneri injuncto, vix judicium facere licet.

8. In Græciâ olim, Philosophi ad Rempublicam accedere noluerunt; sed aliter fecerunt optimi quique Romanorum: quos imitari hac in parte, è re magis esse videtur; saltem ne locus pateat malis. Ad maximè corruptam verò Rempublicam, nunquam est accedendum; & sapiens illo tempore silet, ac si fieri potest, latet.

9. Magistratus, pro cujusq́ue Reipublicæ statu, gradibus suis distinguuntur: ut alius major, alius minor esse dicatur. Sic & ex usu hodierno, Jurisdictio & Imperium, jure Feudi ac successionis sæpê venit.

10. Et porrò Magistratus quidam interdum Jurisdictionem, judicandique facultatem, alij administrationem patrimonij publici, tantum habent: quos vulgo Verwalter/Eynnemmer/Schösser etc. vocitamus. Aliquando verò hæc munera concurrunt, pro usu & consuetudine cujuslibet loci.

11. Magistratus in omni Reipublicæ formâ, haut nimis potens; aut si talis, perpetuus esse debet. Idque à Germanico-Romanis Imperatoribus neglectum; quodque opima Feuda, jure perpetuo & autocratico, Principibus, alijsq́; Magnatibus concesserunt; illorum potentiam minorem fecisse: Gallorum vicissim

sim Regum Majestas, exindè major reddita, videtur, quòd potentes inibi Ducatus (Burgundorum scil. Britannorum, Nortmannorum, Aquitanorum &c.) fato singulari, cum Coronâ, coaluerunt.

12. Nimia item potentia, vel favor Belli Ducum, Regibus plerunque est suspectus (ut testari potest Consalvus, Pescarius, Joannes de Austia, Parmensis &c.) maximè si sint ex familiâ multum illustri.

13. Magistratus autem omnis, in officio suo magis justitiam, quàm lucrum, aut cujusvis favorem respicere debet: maximè in judicando. Judicium enim Dei est; eoque nomine, Deo & Justitiæ magis, quàm etiam Principi est devinctus.

14. At Princeps, vel alij Majestate pollentes, si non ipsi inspectionem habeant in officiales; ij plerunque, ut in re alienâ, pessimè versantur: hincque Appellatio, Revisio, Supplicatio, Syndicatus &c. descendêre.

CAPUT. VI.
DE.
Censoribus & Consiliarijs.

VT Legibus Judices, ac Magistratus: ita moribus præficiendi sunt *Censores*, qui ea, quæ Legibus nequeunt definiri, & quorum nomi-

nomine actio, nec Civilis, neque Criminalis datur, corrigant, notent.

2. Verùm Censura, ut olim apud Romanos, maxima in authoritate, usuque erat; ita magno nostro malo, hodiè in Rebuspublicis nostris ignoratur. Quamvis Venetijs, ac etiam Genevæ ex parte sit usitata: hancque aliquantum æmulentur, Die Kirchen Eltisten/ Rueggericht 2c. Apud Catholicos verò, eandem resarcit strictior observatio confitendi.

3. At verò Censores, expertes Imperij ut sint, consultius esse videtur. Ut etiam apud Romanos notam, non infamiam eorum judicia infligebant.

4. Nec item ij omnia, simul emendare; sed paulatim singula corrigere debent, Præsertim si nova sit institutio Censuræ; aut morbi existant magni, & inveterati,

5. Ac porrò Principis Vita & Aula, Censura optima est; & speculum, ad quod vitam subditam componant. Sanè plerunque Principis mores, cuncti, & Aulici inprimis imitantur. At Aula ubi est corrupta, ea labes contagij instar, nunquàm non latius serpit.

6. Insuper *Consiliarios* in omni Statu, ac item ei Principi necessarij sunt, qui consilio proprio pollet. Maximeque in Democratiâ & Aristocratiâ, ut Senatus sive Consiliarij sint, ab Archontibus sejuncti, necessarium reputa-

putatur, idque Rempublicam Romanam diutiùs conservavit; Atheniensis ut citiùs semetipsam destrueret, neglectio præcepti hujus efficit.

7. Nec etiam Princeps laudatur, qui unius tantum amici consilio utitur; cùm ille favor summus, vel Principem, vel Consiliarium, vel etiam Regnum tandem perdat: ut inprimis testatur Sejanus, Narcissus, Tigellinus, Perennis, Cleander, Plautianus, alijque ab Illustri Enenkelio *cap 1. Sui Sejani* relati.

8. Consiliarij (maximam partem) indigenæ, nec tantum ex Nobilium Ordine; ac nulli præterea Principi sint devincti. Sicque Liberæ præsertim Civitates, ijs Consiliarijs uti haut debent, qui vicinorum Nobilium vel Magnatum Pensionarij, eorumque Processibus sunt implicati.

9. Consiliariis item, tali Salario est prospiciendum, ijq; hac ratione sunt tractandi; ut ei, à quo conducti, perpetuò inserviant: nec qui scholares assumpti, abeant Doctores; & arcana Reipublicæ, cui operam præstiterunt, prodere queant.

10. Requiritur autem in Consiliario, fidelitas inprimis (quæ, ut in Theologicis; ita & hìc, fundamentalis est Virtus, & cujus contrarium vitium perfidia nempe, veneni instar inficit cunctas ingenii insignes qualitates) porrò

rô magnanimitas (omnis tamen temeritatis, quæ sub ejus larvâ sæpius latet, expers) ut & candor; qui opponi solet adulationi. Ita ut consiliarius noster, si necesse sit cum Patriâ mori: ac (suo modo) etiam non requisitus monere ausit.

11. Detestandi itidem sunt, qui plus Principem, quàm Deum timet: eoque divinam planè abigunt benedictionem (cujus absentiam nullus felix sequi potest eventus) ut & quorum consilia astuta, & callida magis existunt, quàm fida atque pia.

12. Inprimis, non eò usque omnes curas in Consiliarios reijcere debet Princeps; ut ipse nullam earum partem attingat.

13. Ut consilii non fraudulenti, haut ulla est pœna; ita omnium criminum, nullum ferè magis duram meretur animadversionem, & accuratiorem requirit inquisitionem, quàm consilium dolosum. Sed tamen, ut in Medicinâ, sic & hic, latâ etiam culpâ non caret, si quis ingerat se rei tali, cui sese non sufficientem esse scit, vel scire debet.

14. Tandem etiam est notandum, non satis esse, Consiliarios ære conductos habere; sed & in Comitiis (Reichs: vnd Landtägen) cum Ordinibus Regni, frequentes ac solennes esse instituendas deliberationes.

15. Sanè cuncta Regna, à Teutonicis nationi-

tionibus fundata (ut sunt Imperium Germanico Romanum, Francicum, Anglicum, Suecicum, Danicum &c.) absolutam dominationem detestantur; & saltem ratione gubernationis, ad Aristocrticam rationem declinant, adideó Reges ad Statuum (qui ex Ecclesiasticis, Nobilibus, & Civitatum Deputatis plerumque constat) convocationem (in rebus præsertim gravioribus) adstringunt. Quorum porró scita, faciliorem, promptioremque habent executionem. Aulico Politici é contra, Consilia privata (*les Conseils d'Estat*) utilia magis Principi esse, suadere solent.

CAPUT VII.

De

AErario.

CONsiliarii, ut vicem, sedemque obtinent mentis; ita (quod & jam monui *supra lib. 1 cap. 3. num. 25.*) in *AErario* consistit Reipublicæ nervus, robur & motus. Ejus autem præcipua ratio conservandi, in bené parceque collocando, sita videtur.

2. Illud enim largitionibus & ambitione si exhauriatur, per scelera plerumque suppletur: hincque prodigus omnis, tandem fit exactor. Ac præstat Principem esse avarum (mo-

d(e)

dò non injuriâ aliquid extorqueat, & quemlibet frui patiatur suo) quam si prodigalitatis vitio laboret.

3. Juvat hîc inprimis Peculatus, aliaque Fisci detrimenta, severis Legibus præcavere: omnemque pompam & vanam reputationem devitare: quæ sanè cuncta ridicula sunt, si non suppetant Vires, tandemque necessariò minuent existimationem.

4. At locupletandi Ærarii alia ratio est, quâ semper, seu ad futuros casus; alia, quâ tempore summæ, præsentisque necessitatis, uti Respublica potest. Et in priori quidem casu, omne subditorum gravamen est detestandum. Indè enim ii male contenti reddunrur; nec ita finem, quo Imperantes tendunt (Imperii nempè firmitatem ac conservationem) hâc adipisci solent ratione. Haut item Deum, res humanas curare, is credere videtur, qui persuasum sibi habet, numos præter jus exactos, Reipublicæ posse prodesse.

5. In casu verò posteriori, non magis subditi sunt gravandi, quàm pro necessitatis proportione: cùm talis debeat esse effectus, qualis est causa.

6. Licitè, semperq; Ærarium augeri potest; pœnis condignis, quæ Fœneratoribus, Blasphemis, (denen so fluchen vnd schweren) Adulteris, Calumniatoribus, similisq; farinæ

 homi-

hominibus imponuntur. Rectè autem bonorum Confiscationes, à Justiniano primùm limitatæ, post consuetudine generali, abolitæ sunt: nec etiam consultum esse videtur, ut Patrimonia Sagarum seu Lamiarum in Fiscum inferantur: quod tamen quibusdam in locis fieri solet.

7. Nulla item portio Regionis, haut alicui utilitati destinari debet: ita tamen, ne sylvæ vastentur; sed potius in locis desertis, quercus aliæque arbores plantentur, aut abietes &c. seminentur, Ac quoque Metallicæ venæ indagentur.

8. Monopolia verò ac mercimonia ((Weinhändel/Wollenhändel/Saltzhändel) nomine publico, cautè; nec nisi ab antiquo ita fuerit observatatum, institui debent. Non solùm ne privatis, indè resultans commoditas, & occasio se, suosq; sustentandi, subtrahatur: sed & quia in negotiationibus, major industria & sollicitudo requiri videtur; quàm quæ in Officiales publicè conductos cadat.

9. Civitatis inopia, tempore necessitatis, remediis variis sublevatur: & quidem vel à subditis extraordinariè aliquid exigitur (Collectam vulgò vocant) vel quà aliâ ratione pecunia comparatur.

10. Cum à subditis pecunia emulgatur: tàm

tàm ut ſubditi velint, quàm ut poſſint contribuere, efficiendum erit.

11. Lubenter in medium aliquid conferre ſubditi ſolent: ſi (1) Statu contenti ſint præſenti, Principemque, vel Imperantes alios ament. Si (2) publica neceſſitas adſit, nec ea injuriâ ejus, qui Imperium obtinet ſummum, procurata ſiet: puta, vel per prodigalitatem, vel Bella importunè concitando.

12. Si item (3) publicè ab Ordinibus fuerit adprobatum, à ſubditis ut ſubventio pecuniaria exigatur: quod ſi motu proprio faciat Princeps, Tyrannidis ſeſe ſuſpectum reddit. Ac (4.) tandem, ſi pecunia eò conferatur, quò deſtinata fuit: neque enim aliundè majori ferè odio, ii, qui ad clavum Reipublicæ ſedent, prægravantur, quàm ſi per luxum abſumatur, quod cum anguſtiá ſubditi præſtant.

13. Opibus juvare Rempublicam ſubditi queunt; ſi Sumptuariis Legibus, modisque aliis, Privatorum Divitiæ conſerventur (nulla quippe contributio, tàm magna eſſe videtur, ut non plus abſumant Privatorum plerorumque inutiles ſumptus) ſiq; non ante neceſſitatis caſum, Tributorum vinculis, quaſi Prædonum manibus, Respublica fuerit ſtrangulata.

14. Non ſolùm autem per extraordinariam collationem, ſuccurri Reipublicæ ſolet; ſed & antiquum, uſitatiſſimumq; Ærarii au-

gendi genus est, rebus, quæ evehuntur & inve-huntur, impositum vectigal: quod aliàs regulariter pro curá Viarum peti potest. Illudq; augeri, vel de novo imponi, commodius quandoq; est quàm Collecta: cùm exteros simul gravet.

15. Illud autem, non rebus necessariis; sed ab iis cumprimis exigi debet, quæ ad luxum, delitias, pompamq; spectant, & mores corrumpunt: ac ita ditioribus præsertim nocere queunt. Exportandis item magis, quàm importandis mercibus imponi debet.

16. Vectigalis quoque rationem habent: Gabella, rebus quæ vendi solent, imposita; accisæ, Umbgeld/ Abzug/ Nachstewr/ & si quæ alia similia, vel in usu sunt, vel excogitari possunt.

17. Collecta autem, non capitibus seu Personæ (quam ideò capitationem vocant) sed cuivis ordinis hominibus (ni privilegium aliquod sit impedimento) & quidem pro singulorum facultatibus, imponi debet.

18. Hæcq; in Germania, vel est Imperialis Reichsstewr; in Comitiis decreta: vel Provincialis, Landstewr; à Statibus suis subditis injuncta.

19. Ubi quæri solet: An ea munus sit reale, vel mixtum: h.e. impositum personæ propter res? Quam posteriorem qui approbant opinionem, concedere simul coguntur; forensem

non

non posse collectari, propter bona, in Colle-
ctantis torritorio sita: quod tamen consuetu-
ne generali sublatum quidam dicunt,& etiam
de jure plures limitationes habet. Vide me
consil. 2. decad. 3.

20. Subditi Vasallorum, de Territorio Do-
mini Feudalis qui sunt, collectari; rariùs verò
ipsi Vasilli (propter servitia personalia quæ
præstant) collationibus extraordinariis gra-
vari debent.

21. Ad alios modos, quibus sine subsidio
subditorum, Reipublicæ succurritur necessi-
tati, referri possunt: pecunia mutuò sumpta,
distractio pagorum, & redituum publicorum,
venditio item jurium ac Privilegiorum. Ubi
tamen cautio hæc est adhibenda, ut semper Jus
superioritatis reservetur; sicque Pagi &c. non
nisi jure Feudi, pignoris aut sub pacto retro-
venditionis alienentur. Ut item, quæ publicè
minùs utilia sunt, distrahantur, & commodum
aliquod reservetur: puta, so man einem das Ja-
gen verkaufft / gegen haltung eines Pferdts &c.

22. Referri hûc potest venditio officiorum;
vel cùm Officiales cautionis loco, certam pe-
cuniæ summam, Principi mutuò dare cogun-
tur. Commodum item, quod parit mutatio
monetæ: quo tamen in casu prudentiùs est a-
gendum, quàm superioribus annis in Germa-

nia factum fuit; ubi tàm magnates, quàm subditi inæstimabili damno affecti fuêre.

23. Ærario tandem qui præsint, Viri optimi sunt constituendi. Exactores verò, exactionumque illicitarum architectones, nunquam audiendi, vel fovendi erunt.

CAPUT. VIII.

De Cura Corporum subditorum.

CUra circa corpora subjectorum, quæ est occupata; vel pertinet ad vivos, vel ad defunctos. Illa *alimenta* & quæ ad sanitatem necessaria sunt subministrat.

2. Hìc ergò inprimis artificia, Mercatura &c. fovenda excolenda, certisq; regulis erit adstringenda.

3. Hûc item spectat quæstuaria scientia, tàm naturalis, ex agriculturâ, plantatione arborum fructiferarum, pecuaria &c. ut & artificialis: quò pertinent mechanicæ artes. Quorum omnium tractatio magis speciali, ad œconomiam pertinere videtur: ac etiam conferunt hîc utiles simul & elegantes libelli Jacobi Bornitii *de rerum sufficientia*, & *de Divitiis* Hieron. Marstalleri.

4. Verùm usuris lege justâ adprobatis, reditibusque annuis, mit angelegten Güllten; ut se familiamque suam alere, Christiano etiam, haut illicitum esse puto: ita usuras haut legitimas exigentes, Kipper/Wipper/ Schacherer/ similisque si qui sunt sortis, Prædonibus rectè æqui parantur.

5. Utile autem forsan foret, constituere Montes Pietatis gemeine Wechsel/ &c. quibus mediantibus pecunia securè collocari, ac etiam subitis Civium necessitatibus, succurri posset.

6. Alimentorum quoq; pretium, cùm per Monopolia (durch die Vorkäuffler) augescat; inde ea non sunt permittenda: magisque utile reputatur, ut præsertim necessaria esculenta, ij solùm vendant, quorum operâ ejusmodi terræ fructus producti fuerunt. Aliam tamen esse ratioem Vini, ferè omnibus videtur.

7. Verùm ut sustentationis habenda est ratio universim; ita & singulis suus ut dimensus sit labor, curandum est: sicque otiosi inquiri, nec ferri debent. Plerunque enim sunt injusta, variorem delictorum (lenocinii nempè, adulteriorum, furtorum, corruptionis liberorum ac servorum &c.) vel perpetratores, vel ea perpetrantium receptatores.

8. *Valetudinis* porrò publicæ, suscipienda est cura Imperanti; sicque Medicis & Medicinæ

 leges

leges dat, ac ne morbi Epidemici ingruant, vel latiùs serpant, procurat.

9. Et ita est prospiciendum, ut Medici, Chirurgi Obstetrices &c. cognitione & experientiâ sufficienter sint instructi; ut Magi, illicitarumq; curationum artifices, Empirici, Circumforanei, Veterinarii &c. extirpentur. Ac etiam ne Paracelsistæ ac Chymici, nimium increscant; veteremque Græcorum & Arabum, tutam ac diu probatam prorsùs extinguant Medicinam: experientiâ enim constat, rarò fieri senes, qui Chymicis medicamentis frequentius utuntur.

10. Ad politicam morborum contagiosorum præservationem, & curam refero, si mundicies in plateis & domibus procuretur: si quantum salvâ Christianâ charitate fieri potest, tali morbo laborantes, ab aliis separentur, atq; vitentur. Si accessus ex locis contagiosis prohibeatur; si denique fuga iis, qui meticulosi sunt, nec officii ratione prohibentur, permittatur: eâ enim ratione, Civitas hominibus exoneratur, quorum multitudo contagium augere solet.

11. Nec denique negligenda est cura mortuorum; sed ut Cives honestè *sepeliantur*, curari debet. Ac sunt quoq; honorificè sepeliendi hostes, & quandoque etiam supplicio affectis ea humanitas non est denegaenda. Non verò

verò, qui violentas sibi manus intulerunt, communem cum aliis sepulturæ locum habere debent.

12. Locus mortuorum tumulandorum, nùm in, vel extra Urbem debeat esse; disputari solet. Hîc medicæ, illîc Theologicæ rationes præferuntur. Et sanè consultiùs esse puto; ut aspectus Cæmiteriorum juxta Templa, aliaque sacra loca existat; ac etiam cadavera eruta, in propatulo ut conserventur; & ita omnes jugiter admoneant mortis, faciantque novissima illa considerare.

13. Sumptus quoque funebres sunt moderandi (dann es in etlichen Orten auch thewer zu sterben ist) ac quoque luxus Epitaphiorum: quamvis barbarum videatur, & Turcicum magis quàm Christianum, omnem talem defunctorum memoriam impedire.

CAPUT. IX.

DE.

Arcanis & Simulachris Rerumpublicarum.

Non solùm autem subditi, mediis, de quibus hactenùs est actum, ad politicam ducendi sunt felicitatem; verùm & ipsa Imperii Majestas, Status item & forma Reipublicæ, singu-

singularibus quibusdam rationibus subindè conservantur; quæ *Arcana* Reipublicæ, vel Imperii secreta (Italis *Ragion del statò.* Ratio Status vulgò) vocitantur.

2. Arcana autem propterea dicuntur: quia plerunque latent, vel latere debent (illa præsertim, quæ spectant ad quamlibet Rempublicam singulatim) ac ea ut subditis non innotescant, plerunque Principes studiosè curare solent: cognita enim vilescunt parumque juvant, vel etiam odio prægravant Imperantes. Ratio verò Status, propterea indigitantur; quia non pertinent immediatè ad subditorum commoditatem vel salutem: sed eo solùm fine usurpantur, ut Princeps maneat Princeps, ut Senatus non amittat authoritatem, ac ne populus destituatur libertate; & ita nil depereat de cujuslibet Reipublicæ primigeniâ formâ.

3. Sanè autem ejusmodi Arcanæ rationes, ut interdùm non sunt negligendæ: ita earum haut prima ratio haberi debet (ut Machiavellistæ, & Aulico-Politici volunt) cùm nullum majus, utiliusque arcanum sit; quàm justè imperare, & non offendere Deum.

4. Sic & Reputationem, quæ plerunq; scopus est horum Arcanorum (cùm è contra Imperantium contemptus, seditiosis animum addat) maximè Imperantibus conciliant,

Virtu-

Virtutes moderatrices: Pietas, Justitia, Prudentia, constans Imperij forma, Consiliarii fideles &c. Idque negare nnn possunt ii, qui credunt, Deum haut rarò contemptu vindicare, quòd Magnates ejus præcepta non curant.

5. Sic pariter tutissimum Imperii munimentum est, amor subditorum: quem procurat non solum universorum, sed & singulorum cura.

6. At quod attinet Imperii Monarchici specialia Arcana; minùs iis indiget Imperium successivum: propter authoritatem, quam habet, qui in purpurâ est natus: si præsertim ejusdem Majores de Patriâ benemerti fuerunt.

7. In Imperio verò Electivo; Rex æquè ac Ordines secreta peculiaria habent. Ille ut in successorib. perduret Regnum, aut ipso adhûc vivo is, quem amat, eligatur. Hi, ne vivente Rege, electio præoccupetur, vel in unâ Domo diutiùs Imperium continuetur: utque paulatim arctior imperandi formula, neviter electo præscribatur.

8. Aliis item rationibus, Monarcha authoritatem suam tuetur contra plebem: Nobiles putà præ aliis fovendo. Aliis contra Patricios, aliosque optimates: contra eosdem nempè plebeios tuendo.

9. Cer-

9 Certi item sunt modi, quibus efficit Princeps, ne unus nimiùm crescat, ipsique terribilis fiat: quod accidit, si in talem nimiâ & perpetua potestas conferatur. Quæ cuncta ex Tacito, optimè disci queunt.

10. Monarchæ etiam, cupidi dominationis, non amant crebriores ordinum Conventus: eosque cupiunt ex vilioribus, sibique devinctis; nec ex iis, qui divitiis, prudentia & auctoritate pollent, constare.

11. Pariliter in Aristocratiâ: Optimates tuetur contra plebem, si Cives ab injuriâ defendantur; non tamen tenuioribus ullum imperium detur: inibique si inter Optimates concordia & æqualitas sit, haut facilè unus emergit. Quod item ne fiat, Peregrinis quàm Civibus, quandoque tutiùs magni exercitus committuntur. Quæ non uno in loco, Trajanus Boccalini, Venetorum exemplo illustrat.

12. Statum popularem conservat; nemini nimiam aut longiorem potestatem concedere: nec permittere, ut potentia paucorum, in perniciem universorum crescat. Quæ dum neglexàre Romani, Julij Cæsaris ferre potestatem coacti fuerunt.

13. Omnium etiam judicio, certissimum Democratiarum malum est; libertas immoderata, ac licentia Concionum: quo morbo periit,

periit vetus Græcia olim; & nuper etiam is nocuit Rhetiæ Algestri. Ac utile tandem est, si populus suam nesciat Majestatem, & rarò absolutâ potestate utatur, sed sibi vinculis legum, manus liget.

14. In mixto verò statu, arcanum est; Ordines habere potentes, eorumque Deputatos, esse Reipublicæ gnatos, & ejusdem amantes: adulationem item ac timiditatem procul habere &c. Quo intuitu veteres Franci & Germani, Ordinibus seu Statibus, semper Ecclesiasticos quoque adscripserunt: quasi Principibus non ita arctè astrictos.

15. Nunquam autem fœdæ & barbaricæ rationes, atque scelera Dominationis conservandæ, augendæque, loco Arcanorum sunt usurpanda. Qualia sunt apud Turcas, Parricidia fratrum &c.

16. Occurrunt quoque subindè Imperii *simulacbra*: quæ plebi & Optimatib. etiam, quandoque ac in genere iis indulgentur; qui extra Rempublicam sunt, & coram quibus aliud agitur, aliud simulatur: quo intuitu veteres Imperatores Romani, liberæ Reipublicæ faciem, non statim omni ex parte immutarunt: ut nempe Populus putaret, se adhûc habere libertatem & Imperium; quá reverâ carebat.

PARS

PARS SECVNDA LIBERI II.

De Conservatione, & administratione, respectu exterorum.

QVemadmodùm corpus humanum si quis curare velit, non solùm causas, quæ ab intrà labefactant; sed & pariter eas, quæ ab extrà oppugnant illud idem noscere; & quomodò eæ declinandæ sint, cognoscere debet. Ita pariter, qui politico corpori præest, de ejusve conservatione agit; non solùm ab internâ, sed & *externâ labe*; sartam tectamque Rempublicam ut conservet, aut quomodo illud fiat ut consideret, necesse habet,

2. Hîc autem, cùm de Vicinis, tùm per quos cum illis agendum sit dispiciendum videtur.

3. Vicini aut non hostes; aut verò hostes sunt. Non hostes; vel Fœderati, vel Neutrales existunt.

CAPUT. X.

De

Vicinis in genere; ut & de prærogativâ sessionis.

AT quod attinet, *Vicinos*, dijudicari imprimis debet; nùm è re nostræ Reipublicæ sit, curare, ut Pax inter eos colatur: an verò Bellum inter illos, ut vel gliscat, vel apertè geratur?

2. Estque politicum axioma, usu gentium plurimarum comprobatum: Haud optandum (imò etiam impediendum) esse, ut vicini nostri, nimis fiant potentes. Ferè enim, qui alium opprimere, suoque Imperio subijcere potest, id non omittit: vanisque prætextibus, ac impiis & mercenariis eorum assertoribus, vix caret.

3. Hicque ut plurimum, tùm demùm pax inter Vicinos procuratur, si potentiâ sint æquales: aut bellum in viciniâ gestum, incommodum adferat vicinis. Quorum verò potentia aliis minitatur servitutem, iis bellum hostesque conciliantur; subditi ad rebellionem incitantur, crescensque magnitudo, quacunque ratione fieri potest, præpeditur.

4. Ita Catholicus Rex, hostes clancularios multos habet quos etiam non offendit. Hoc

Belgicum Bellum fovit, multoque difficilliorem reddit hactenùs, & adhuc dum reddit Unitarum Belgii provinciarum oppugnationem eidem: ferè enim totus Mundus, in Belgio, & per Belgas oppugnat Hispanum. Et hoc item in causa est, ut quò ad Religionem concordes, hanc ob eandem Status rationem, juvent, foveantque dissentientes; quos alias opprimunt, oppressosque optant.

5. Monent Politici & illud: jure non permitti, ut vicinus etiam in suo termino muniat aliquem locum, nobis ita vicinum; ut magis nostram offensionem, quàm ejus territorii in quo situs est, spectet defensionem. Taleque reputatur à nonnullis, propugnaculum Venetum, Palmæ nomine insignitum; imminens Provinciis celsissimæ Austriacæ Domus. Et indè plerunque cautionis majoris ergò, pactis præcaueri solet; ne utrinque in finibus, intra spacium præfinitum, Arces & munitiones excitentur.

6. Pertinet porrò ad considerationem Vicinorum, Rerumpublicarum inter ipsas Dignitatis prærogativa, seu præeminentia *Seßionis*: Qua majoritatem, non superioritatem inducit; pariter ut Electorem alius Princeps, Plebejus Nobilem, absque onere subjectionis veneratur, primasque ei concedit lubens.

7. Ita licet Imperium Romani Imperato-

ris, haud agnoſcere velint Reges alii abſoluti: eidem tamen preeminentiam Seſſionis, meritò lubenteſque concedunt omnes reliqui Orbis Chriſtiani Monarchæ. Quin & in Aula Magni Turcarum Regis, Legati Imperiales, Perſicis, aliorumque Saracenorum Ambaſcitoribus præferuntur. Falluntque Galli, qui Regem ſuum, in eâdem Aulâ prærogativam obtinere, aſſertant. Etenim haut inibi unquám Gallici Legati, præcedentiam contra Imperatoris Romani Legatos affectârunt; ſed ejuſdem ablegatis, quaſi non ut ab Imperatore, ſed ab eo, in qualitate Hungariæ Regis, miſſi eſſent, ſeſſionis controverſiã moverunt.

8. Sic & Rex Romanus, vivente Imperatore, ob ſpem ſucceſſionis proximam & radicatam; reliquos Reges & Monarchas, hacce dignitatis prærogativa jure vincere videtur.

9. Ac ſunt porrò obviæ paſſim de Seſſione diſceptationes: ac celebris inprimis eſt Galli & Angli, cum Hiſpano. Illi autem, inciviliter aliquantum, Hiſpaniæ univerſæ, aliarumque potentiſſimarum Provinciarum in utroq; Orbe Monarcham; eo jure cenſent, ut tùm fuit, cum Caſtiliæ anguſtiis includeretur.

10. Nota etiam eſt hâc de re, quæ fuit olim Florentino lis cum Ferrariæ Duce. Et viguit, vigetque adhuc controverſia ſeſſionis haud ſolum inter Principes & Reſpublicas extra

Imperium Romanum sed & inter ipsos Imperii status: ejusque decisio ad solum Imperatorem spectat. Sic & Electoribus, aliisque Principibus Germanis, Burgundiæ quondam Dux ratione potentiæ: & nunc Belgici status, ob omnimodam quam usurpant libertatem, satagunt præferri.

11. Ordo autem Regum Principumque Christianorum (teste Mercurio Gallico, *to. 10. fol. 33. 7.*) A. D. 1504. sub Pontifice Julio *II.* talis erat Imperator Cæsar, Rex Rom. Franciæ, Hisp. Aragon. Portugalliæ, Angliæ (discors cum tribus prædictis) Siciliæ (discors cum Rege Portugalliæ) Scotiæ, Ungariæ, Navarræ (qui tres inter se sunt discordes) Cypri, Bohemiæ, Polo. Dan. Dux Britanniæ, Burgundiæ, Bavariæ Comes Palatinus, Saxoniæ, Marchio Brandenburgensis, Dux Austriæ, Subaudiæ, Mediolani, Venetiarum, Bavariæ, Lotharingiæ Bertoniæ, Aurelianensis, Januæ, Ferrariæ.

12. Jus autem præcedentiæ, vel ex usu atque consuetudine; & pariter ex potentia, dignitate aliisque consibilibus circumstantiis æstimari solet. Removetur verò hîc patientia familiaris. Remediique provisionalis loco, alternatio (die Abwechßlung) adhibetur: & qui possessionem juris hujus tueri nequit, vel in abstemiorum castra secedit, vel saltem potestatione munit jus suum.

CA-

CAPUT XI.

De

Fœderibus & Neutralitate.

GEneratim huc usque de vicinus actum fuit; nunc eos ut fœderatos considerare lubet. Cum enim quælibet Respublica, vel æmulos habeat vel inimicos; ac utcunque potens fit omnibus hisce simul, temporeque omni resistere non queat: Fœderatis ideoque carere, vix ullum Imperium potest; pariter ut in Jucunda est vita privata, amicorum subsidio destituta.

2. Est autem *Fœdus*, pactio duarum vel plurium Rerumpublicarum, de re quapiam sibi mutuò præstanda: ad quam scil. aliàs jure gentium non tenebantur.

3. Fœdus verò soli contrahunt ritè, qui Majestate pollent. Subditi ergò vel inter se, vel cum aliis fœdera ferire nequeunt: nisi in casu eo singulari, quo se justissimis ex causis contra Principem defendere possunt; pari etenim passu jus fœderum atque Belli procedit. Eaq; ratione, superioribus annis, Fœdera Hungarorum, Bohemorum, Austriacorumque fuêre cassata.

4. Sic & subditis regulariter denegatum est, alterius Principis vel Reipublicæ se com-

mittere protectioni : cùm nempè subditos suos tueri, immediatè ad Principem spectet, & vix absque injuriá ejusdem, ut id fiat ab alio expeti queat.

5. Sed tamen Fœderum hocce Jus, ex antiquissimo privilegio libertatis, etiam sibi arrogant Imperii Romani status: modo Imperator Imperiumque semper excipiatur, & caute cum exteris (sua plerunque magis commoda, quam aliorum libertatem experentibus) ineatur.

6. Hanseaticum Vero & Vandalicum Fœdus, licet inibi magnâ ex parte Civitates Provinciales, aut mixti quem vocant status, comprehendantur : temporis tamen diuturnitate immemoriali, aliisque rationibus, facilè defendi potest.

7. Sic etiam cum infidelibus, vel hæreticis fœdus inire ; etsi per se illicitum haud sit : ut Exemplo Abrahami, fideliumq; aliorum approbari potest. Id tamen omninò periculosum esse videtur maximè si ad offensionem aliorum Christianorum talia fœdera tendant; qualis fuit Liga illa Infausta, contra Carolum V. Imperatorem, inter Franciscum I. Galliæ Regem, & Turcarum Imperatorem pacta quæ millia aliquot Christianorum, Turcia servituti mancipavit, nec tamen rebus Gallicanis profuit multùm.

8. Et porrò Fœdera cu[illegible] fidelibus contracta, si non Religionis im[illegible]tionem; attamen atheismum: quæ verò [illegible] hæreticis ineuntur, contagio latenti, R[illegible]ioni veriori plerunque sunt perniciosa.

9. Regulariter item improb[illegible]da videntur fœdera, cum nimis remotis: q[illegible] utpote plus habent vanæ pompæ, quam util[illegible]is; ac Germanis inprimis Magnatibus fu[illegible] fugienda. Quibus etiam accensemus, quæ i[illegible]untur cum Domo vel Familia offensa: qu[illegible] fere etiam post pacem utcunque solemnem [illegible]ncor aliquis perdurat, & cicatrix ejusmo[illegible] rarò caret subpuratione.

10. Cautè etiam contrahenda s[illegible]t Fœdera: cum potentiori; quia frequenti[illegible] degenerant in subjectionem: Ut & cum iis, [illegible]i in diversâ Politiæ formâ vivant; cùm div[illegible] etiam animi sensa habere videantur. Et [illegible] sunt Principum cum Liberis Civitatibus [illegible]ligationes.

11. Ratione conditionum, sub quib[illegible] fœdera contrahuntur; primò ea ita divid[illegible]: ut quædam vel commercii sint, vel defensionis, vel etiam utriusque. At omnium arctissima societas ea censetur, cùm hostes eosdem, & eosdem cum sociis, socios habemus.

12. Et item secundò, ratione pactorum, & determinationis earum rerum, in quibus fœdus

 dus

dus servari oportet; illud vel æquale vel inæquale, seu impar habetur.

13. Æquale, contrahitur ferme inter æquè potentes, conditionibusque æquis; ut scil. unus non in plus, quàm alter sit obligatus, præstetque. In Fœdere inæquali, alter alterius Majestatem comiter observare promittit, vel aliud simile quid, quod speciem aliquam habeat submissionis. Quales socios Romani olim; nunc Turca, alijque Potentes habere optant.

14. Huic ideo inæquali fœderi annumeratur, quod est inter Patronos seu Defensores, aut protectores, eorumque Clientes (Schutz vnd Schirms Gerechtigkeit / vulgò dici solet. Fereque Civitates Imperiales, non ita potentes, tali Patrocinio Principum vicinorum se subdunt.

15. At hinc Clientes, utcunque habeant Dominos superiores, nihilomnius liberi remanent ac Fœderati, non ut subditi sunt censendi: neque etiam per protectionem, aut jus Advocariæ (durch die Kastenvogtey) territorij jurisdictio regulariter probatur.

16. Attamen Clientela sæpè degenerat in superioritatem: idque multi Principes non solùm, sed & Liberæ olim Imperij Civitates, nunc Principibus subjectæ, sunt expertæ. Et quidem, hoc maximè tum fieri assolet; si Patroni,

troni, Arces vel Oppida Clientum, præsidio teneant militari, aut Protectio hæcce perpetua sit (quam Erbschutz nominant) vel etiam in literis Cliente-laribus talia pacta contineantur, quæ jurisdictionem aliquam important: ut sunt Advocatiæ Monasteriorum nonnullorum; si secum trahant potestatem rationes inspiciendi, & exercitium aliquod jurisdictionale.

17, Fœdora ut sanctiora sint atque firma magis, sæpe in Senatu vel Curia majore, aut etiam in Optimatum, Populive Comitiis promulgantur; non certe solum, ut in multorum notitiam hac ratione incurrant, sed & quia multum referre videtur, num cum Rege, an quoque cum Regno, Fœdus fuerit pactum. Quandoque etiam affinitate & propinquitate contractâ, Fœdera roborantur: ac participiant Matrimonia Magnatum, fere semper de ratione status: quod nostrâ memoriâ, tractationes matrimoniales inter orbis Christiani Reges Magnos, demonstrare sufficienter queunt.

18. Solent & variis cæremoniis fœdera sanciri, atque roborari: cum primis jurisjurandi accedente Religione: quamvis etiam fidei datio simplex (utpote maxime in bonæ fidei & jurisgentium contractu) sufficiens merito reputetur.

19. Fœdera fere temporaria esse solent; ut scil. vel ad certum determinatumque tempus durent, vel tamdiu habeant vim, quamdiu socii Principes vitali aura fruuntur. Hocque in casu, Pactis adjungere, consultum inprimis repuatur, ut aliquot annos post mortem alterutrius Principis, vigorem obtineant confœderationes, ne scil. ex abrupto, & præter opinionem evanescant.

20. Nec tamen Fœdera perpetua, si sæpius renoventur, improbanda videntur: secus ac censuit Bodinus. Idque Helveticorum, Hanseaticarumque Civitatum, edocent consociationes. Ac quoque locus est perpetuo fœderi, inter Monarchas: tenetur que successor, pactis conventis stare; cum quippe Regio. Regnique nomine, & in ejus præsumptam utilitatem, fuerint celebrata.

21. Porro autem, cum vicinis non fœderatis, vel pacem aut Inducias habemus; vel etiam vicini, ut *Neutrales* considerantur.

22. Et quamvis Neutralitas á multis improbetur; vix tamen in totum rejici potest: quod Politici prudentes, eveniente casu, ex rerum circumstantiis dijudicabunt: præsertim apud Christianos, ubi se bellis alienis immiscere, impium videtur.

23. Neutrales etiam ni pro hostibus haberi velint, neutri ex belligerantibus plus favoris, subsidiique exhibere debent.

24. In

24. In bello Civili, si contra rebelles (vel etiam vicinos) Principi bellum sit, non licet subditis vel Vasallis, particularis necessitatis prætextu, obtendere Neutralitatem: cum ad defensionem sint obstricti, & ad servitia militaria cogi queant.

CAPUT. XII.

De Bello.

NUnc de vicinis, ut *Hostibus* agam: ubi primò sciendum est, armorum tractationem, etiam tempore pacis omnino necessariam esse; ut nempè ad necessitates Belli Exercitum, id est verè exercitatos habere possimus.

2. Exercitium autem hoc, primò Corpus, ejusque robur & dexteritatem concernit. Etenim ut nemo negare potest, ad Duellum promptiorem, confidentioremque esse eum, qui arte gladiatoria, vel Equestri præpollet: ita etiam ad Militiam Exercitatio conveniens, quemlibet magis aptum reddit; hocq; intuitu Romani, seduli militaris Disciplinæ Magistri, Tyrones ad palum certare procurabant.

3. Sunt & animi intuitu, Milites futuri, ad fortitudinem patientiam, Patriæ amorem, ac obe-

obedientiam inprimis instituendi, exercitandique.

4. Semper insuper Domesticus Miles, externo & mercenario præferri debet: quique suis non fidunt subjectis, & ideo expetunt externos, hi stabile firmumque imperium sibi polliceri non possunt, quod Reip. Carthaginensis, & Imperium etiam Græcorum Imperatorum; docere possunt.

5. Sanè omnes, qui magnum Imperium aliquod, vel acquisiverunt vel tutati sunt; proprio seu domestico Milite id perfecerunt: ac parcè etiam Socijs. Auxiliaribusque usi sunt, nec ex hisce primarium Exercitus robur constare voluerunt,

6. Magis etiam præstare videtur subditos omnes. eorumvè partem majorem, ad Bellum expeditos esse: Pacis verò tempore agriculturam, & consueta munera alia obire. Nocuitq; Imperio Romano inprimis, quòd ibi Milites singularem constituerunt statum, quodq; optimi quiq; sub Imperatorib. (secus ac illâ Republicâ liberâ adhuc existente usitatum erat) haud militabant.

7. Minus adhuc prodesse constat, si ex vitiosa populi fere, ad tympani sonitum, Milites colligantur; id quod ante Maximilianum I. Imperatorem, in Germania in usu minimè fuit; sed omnes liberi ingenuique, ac præser-

tim

tim Vasalli, pro Patria militare cogebantur.

8. Quod verò nonnulli prætendunt, Militem collectitium temerarium magis esse; & ideò ad prælia aliasque bellicas expeditiones, domestico præstantiorem: qui utpotè uxorem, liberosque cogitet semper, & vel eorum ob causam vitam amittere vereatur. Ijs regerere licet exempla Turcarum, vetustiorum Helvetiorum, aliarumque nationum: quodque hodie idem apud nos fieri non videmus, in causa est educationis, informationis, Exercitij que defectus.

9. Insuper item quæri solet, Pedites vel Equites num præstent? Superiori certè seculo, Germani Equitatu tantummodo usi sunt: cum inibi Nobiles solùm militarent; unde adhuc hodie, Nobilium ordinem, die Ritterschafft indigitamus. Vicissim Israëlitæ omnes, pedites erant: Regiq; Israëlis interdicta fuit accumulatio equorum; nè inde superbiat scilicet, fratresque opprimat suos. Sed verò in bello gerendo, tam Equitatus quàm Peditatus necessarius est; nisi Regionis natura aliud velit. Itaque in certamine de prærogativa peditum & equitum, nil in thesi definiri potest.

10. Non autem Milites tantum, sed etiam Duces in promptu habere Respublica debet: quos inprimis necessè est, ut sint non modo Milites boni, sed & boni viri. Namque aliter

si fiat

sifiat, si quis benedictionem Divinam eo impediri negat, negat principia Christianæ Religionis.

11. Ad belli quoque inopinatos casus, copia annonæ, pecuniæ &c. ac item necessaria sunt arma, omnisque generis militaria instrumenta, bombardæ, &c. Quarum inventio antiquior esse videtur, quam ut Berchtoldo Nigro, Anno Christi 1400. vel circiter, adscribi queat.

12. Sed quod Clypei, & arma singulis; hoc præstant propugnacula universis. Sicq; primariæ aliquot urbes, mœnibus, ac vallis, sunt cingendæ fossisque (ut ibi subditi complures habeant receptum). Et quidem muniendæ sunt, ad modernam fortificandi rationem; ubi nempè unum punctum, longam lineam defendit, unumque punctum oppugnatum, non unicum, sed plura puncta tuentu. Non autem approbandæ sunt Citadellæ, sive etiam parvæ Arces Montib. impositę. Illę enim libertati insidiantur, & tantum si metus sit seditionis, extrui debent: hæ vicinum territorium non defendunt, sed ut plurimum latronum receptacula fiunt; si præsertim non à Territorii summo Principe, sed ab aliis Optimatibus sive Nobilibus, possideantur.

13. Jam de *Belli Jure*, aliquid est addendum: ac quidem homini Christiano bellum gerere licere

licere, certum est; si modò fiet justum. Magistratus namque haud frustra gerit gladium: sique suos punire potest, defendere etiam eosdem illi licet contra alios cunctos. Ac quoque si bellum gerere, per se & semper malum esset, non hoc absque peccato fecissent Israëlitæ; ac etiam Johannes Baptistes sustulisset, non reformâsset ordinem Militarem.

14. Quin & potest nonnunquam Princeps Christianus, conscribere Milites ex populo infideli. Si namq; defensio non attendit armorum discrimen, undecunq; ea sumantur; quid ni idem de armatis dicere liceret?

15. Pariter Christiano non prohibitum, ajunt, Principi infideli quandoq; auxilium ferre, aut in ejus militiâ stipendia merere: cum ea quæ gentium juris sunt, nobis cum infidelibus communia videantur. Quod tamen ita intelligi velim, si Bellum sit justum, nec contra veræ fidei consortem susceptum.

16. Ad Bellum legitimum requiruntur tria, conjunctim. (*1.*) Principis authoritas, (*2.*) diffidatio, (*3.*) sufficiens causa. Authoritas tamen Principalis (quo intuitu, belli movendi jus ad Majestatem spectare censetur) non adeo necessaria est; si aggressio sit inopinata: tunc enim ut unus, sic & plures sese defendere impune possunt. Denunciatione quodq; haud opus est, in Bello defensivo: cùm is qui offen-

offendit, etiam non monitus debeat scire, aggressum pro virili se defensurum.

17. Justum Bellum ratione causæ existimatur, quod suscipitur, ut in Pace sine injuriâ vivamus: hocque intuitu aut est defensionis, aut recuperationis, aut etiam justæ offensionis.

18. Bello ob defensionem suscepto, nos nostraque (aut etiam Socios, & Clientes nostros) ne injuria ipsis inferatur, vindicamus. Bello verò recuperativo, repetimus res, vel nostros vel Sociorum, illegitimè ablatas.

19. Justè offenduntur ii, qui nobis nostrisque injuriam intulerunt graviorem: putà si Legatos nostros offenderunt, &c. Aut etiam, si denegent id, quod jure Gentium nobis, nostrisq; debetur: transitum nempè innoxium, ex usu debitam Sessionis prærogativam, &c.

20. Hincq; si nobis nostrisque Subditis, justitia denegetur ab eo, cum quo jure experiri nequimus, Repressaliæ (quæ speciem quandam Belli habent, & ex eàdem cum illo juris ratione procedunt) licitè usurpantur.

21. Non autem satis sufficiens offensionis causa reputatur, si quis vicinos ob infidelitatem, aut barbaricos mores oppugnare velit. Licet & hîc Judicia, ductusque Dei varii sint: ut testantur Bella Israëlitarum, contra Chananæos; Hispanorum contra Americanos, &c.

22. Sunt

22. Sunt & Bella ſæpè juſta, reſpectu DEI, peccata noſtra punientis; non verò reſpectu ejus, quo Deus utitur loco virgæ. Qualia ſunt Turcica Bella, & olim Aſſyriorum contra Iſraëlitas. Ubi nihilominus aggreſſi ſeſe defendere licet: namque alias eandem ob rationem, haud liceret mederi morbis. Veruntamen Deditiones & pacta, etiam tali hoſti ſunt ſervanda. *Jerem. c. ult.*

23. In Bello juſto, ſtratagematibus uti licet: modò careant perfidiæ notâ, nec egrediantur terminos boni doli. Hincq; veneno, vel aliter inſidias ſtruere, vitæ hoſtium Ducis, minus honeſtum habetur.

24. Exploratoribus etiam, quin & Proditoribus uti, nil impedit. Non tamen Patria juſto bello petita, ſalvâ conſcientia, prodi poteſt, cùm ei ad fidelitatem adſtricti ſimus; & quæ in contrarium ex Sacris Hiſtoriis afferuntur documenta, minimè regulam conſtituere videntur.

25. Ipſum Bellum cùm eſt gerendum, primò omnium diſpiciendum erit num præſtet hoſtem domi expectare, an verò expediat magis extra fines Imperii gerere bellum? Quod ex natura regionis, aliisq; circumſtantiis dijudicatur. Nempe ſi qui aggreſſus eſt, domi ſatis ſit fortis, & ſubditi bello aſſueti, hoſtiis obviam prodire vix debet: & talis, etiam mi-

nori cum damno patitur cladem in Territorio suo; ubi receptum habet, & latibula novit. Ex hostibus vicissim paucissimi evadunt, si in nostro territorio prælio superentur.

26. Actiones bellicæ sunt; disciplina Militaris, & calamitates hosti illatæ, vel declinatæ. Partes militaris disciplinæ, duæ sunt; Exercitium & coercitio.

27. Exercitium mil tare est, quo adhuc magis, quàm in Pace, Milites assiduè ad usum armorum, atque opera militaria instituuntur. Nullâ nnim re, Militem damno majori affici constat, quàm otio & luxu.

28. Coercitio, Milites in officio tenet; quæ in milia eò diligentius observari debet, quantò insolentiores præ aliis Milites esse solent. Hicque manu Regiâ, absque litis sufflamine procedi, & pœnæ etiam contra Sacramentum militare ejusque articulos (wider den Articfuls Brieff) commissorum delictorum, ut plurimum sunt capitales.

29. Ad calamitatem bellicam pertinent; Prædatio, Vastatio, Captivitas, Obsidio, Prælium, &c. quæ cuncta tamen ita moderanda sunt, ne, non adversus hostes tantum, sed cum ipsa rerum naturâ, bellum nos gerere videamur.

30. Hincq; ad terrorem, ad nostrorum militum sustentationem, eorumq; fortitudinem

exci

excitandam, deprædationes & expilationes concessæ equidem sunt. Ut & quò hosti internecino, eò magis noceatur, isque terreatur, puniatur, necq; se facile iterum recolligere possit; vastatio, exustio, &c. aliaque media crudelia adhiberi solent: maxime si de fide devictorum desperetur, quamobrem olim transmigrationes, sive transportationes frequentabantur.

31. Attamen Sacra, cultuique Divino aut etiam humanitatis destinata studiis, nunquam sunt violanda: innocentum quoque, infantum, consimiliumque ratio habenda; nec item stupra, adulteria, raptus, &c. ullâ ratione excusari queunt.

32. Captivi jure gentium occidi possunt; sed humanitatis causâ jam olim servabantur: manebant tamen in dominio victorum, indeque Servi dicebantur. At in bellis Christianorum, certo præstito Lytro, dimittuntur: ut & apud Græcos olim, eorum Bella Civilia, nulla servitus subsequebatur.

33 At quod Milites capiunt ex hostibus in pugnæ ardore, redditur singulorum; quod verò capitur hostibus deditis aut devictis, omne id, in jus & potestatem Principis venit. Exceptis rebus immobilibus, & servis recuperatis, quæ Jure postliminii gaudent. Mobiles

enim, ad pristinos possessores non pervenire veritati Iuris proprius videtur.

34. Obsidiones, temerè suscipiendæ non sunt. Magnorum enim Exercituum cæmiteria, militari proverbio indigitantur: & hoste prælio victo, sæpius ultrò se dedunt urbes, alias satis munitæ. Nupera tamen Belgica & Gallicana belli gerendi ratio, magis studet munitionum occupationi, quam ut prælii aleam tentet.

35. Hinc modernum Belli axioma est: prælium antequam incatur, hostis vires velitationibus esse tentandas;& in genere, pugnæ certamen (ni certissima victoriæ adsit spes) quacunque ratione fieri potest, evitari debere cùm nempè profligatus, famam simul amittat nec facilè iterum redintegret vires.

36. Verum proximis, ac necdum omni ex parte sopitis Germanicis bellis, â regulâ hâc aliquantum recessum fuit: prudentisq; Belli Ducis judicio perpendendum est, commodum ne magis sit, obsidionibus implicari, an verò confligendi captare occasiones.

37. In obsidionibus autem, tam iis qui obsidentibus, quàm qui obsessis præsunt, insignis prudentia, industria, dexteritas, & vigilantia opus est. Inprimis qui obsident, ita munire castra sua necesse habent; ut obsessi ite sint vallati, ne per excursiones obsesso no-

cere

cere, nec ad eos ſuccurſus pervenire, obſidionemque diſturbare queat. Obſeſſi viciſſim operam dare debent ut ſemper uno propugnaculo bombardarum fulmine petito, aliud retro ſtatim ædificetur; & ita hoſtis non unâ vice, ſed per partes, urbem capere cogatur.

38. Principem ipſum, bellicis expeditionibus, ac in primis præliis, intereſſe non decet; alium itaq; conſtituat belli Ducem: cui tamen libera poteſtas, non facilè ſoli danda erit. Præſertim ſi ipſe habeat occaſionem, Militum animos ſibi conciliandi, & eâ occaſione principatum, vel loca occupata ſibi vindicandi. Id quod adhuc magis in liberâ Republicâ obſervandum videtur: hocque neglectum, Rempublicam tandem Romanam in Monarchiam commutavit.

39. Bellum ſubſequitur *Pax*; quæ tamen nunquam pernicioſior eſſe bello: eaq; firmior ac diuturna magis ut ſit, ſub Clypeo quod ajunt, fieri debet. Namque non Pax, ſed deditio plerunque eſt, ſi victus cum victore paciſcatur. Et nec tamen recuſanda victori Pax eſt, ſi non certus ſit de totali internecione, ac ſubactione ſui inimici.

40. Eſtq; Pax ſæpius ſimulata: ut nempè debilior recuperet vires, & alacrioris hoſtis primus impetus retundatur: adeò ut ſi quis has

artes non attendat, majus sæpè periculum incurrat Pace, quam pateretur ipse per bellum.

CAPUT. XIII.

De Legati.

CUm exteris agitur per *Legatos*: & specialiter qui ad hostes mittuntur, Feciales nominantur; quorum vice nunc vere Tubicines usurpantur. Neque etiam Heraldi nostrates, verè sunt Feciales.

2. Propriè autem Legati habentur, quos mittunt ii, qui potestate summa seu Majestate præditi sunt. Ideoque Legati Provinciales (de quibus sub Tit. ff. & C. *de Legatis* agitur (quos vulgò Deputatos vocant, & qui ad Principem à subditis mittuntur: ut & Commissarii, quos Princeps ad subditos mittit, haud rectè Legati indigitantur. Et ita hodiè etiam in Imperialibus Conventibus, Ambasciatores, Bottschafft oder Gesandte/ appellitantur ii, qui ab aliquo absoluto Principe ablegantur: Abgesandte/ quos Status ad Cæsarem mittunt.

3. Ex eadem ratione apparet; rebelles haud habere Jus mittendi Legatos, ut & Latrones, aliosque quibus non est potestas belli movendi. Sicq; Rex olim Hispaniarum, Montignium Belgarum ablegatum, supplicio affecit; & apud

pud Angliæ Reginam conquestus est, quod eorundem agentem ut Legatum tractaret.

4. Vicissim si ab extraneo aliquo, ad alterius Principis subditum mittitur Legatus; is vel non recipi vel ejus petita superiori statim manifestari debent.

5. Suntque Legati; vel ad certum aliquod negotium expediendum; vel ut perpetuò resideant in alterius Principis aulâ, dimissi: quorum officium est. Principis sui negotia, quæcunque occurrunt expedire, ac etiam sagaci prudentiâ explorare, ne quid in præjudicium sui Domini inibi tractetur. Agentes verò vulgò vocitant, qui Domini sui negotia agunt, absque titulo & Pompa Ambasciatoris: aut ubi Legatus non admitteretur, vel locum debitum tueri nequiret.

6. Unus, duas pluresve Legationes, hoc est à duobus sibi demandatas, obire nequit; nisi sint Mnnicipales. Et ita in Comitiis Imperialibus unius sæpe Civitatis (vel alterius Status) deputati, à pluribus mandata habent in primis ad sumptus minuendos. Unus autem si mittatur à duobus Principibus vel Rebuspublicis absolutis; ratione sessionis, aliarumq; rerum, confusiones suborirentur.

7. Publico gentium Jure, tam in veniendo quam recedendo, inviolabiles sanctique semper sunt, etiam hostium Legati. Namque aliàs

de Pace conveniri nequiret, cessaretq; omne commercium inter gentes.

8. At de omni contractu, quem tempore Legationis Legatus init; subit is judicium in loco contractus: nam aliàs cum eo contraheret nemo, si forum externum sequi teneretur.

9. Legatus itidem delinquens, citra juris Gentium injuriam, retineri vel puniri potest, ab eo Principe ejusve Magistratu, cujus Imperium læsit, vel cui insidias struxit : Jam enim hostis est, non Legatus: & ita contra eum, jure Belli agi potest. Sed tamen & tunc (ne indè majores turbæ oriantur) ei parcitur plerunque. Porrò autem, si simpliciter delinqueat Legatus, non contra statum; puta si homicidium (in rixâ privatâ) vel adulterium committat, remittitur ad Dominum suum; sine cujus reputationis labe (utpote cum ejus personam repræsentet) puniri vix potest.

10. Porrò ex naturâ relationis, Legati non sunt tales, nisi respectu eorum, ad quos ablegati; Legatos autem ad hostes qui mittuntur, ex Jure defensionis intercipere licet.

11. Legatorum partes, in duobus potissimum consistunt: (1.) ut mandatum fidelissimè exequantur; & ideo merentur excusationem, si quid durius, vel minus gratum proponant. (2.) Ut acceptum responsum referant diligenter: nec quid celent eum á quo missi sunt.

12. Sic-

12. Sicque Legatis, certi Mandati fines transgredi non licet; Instructiones vulgò vocant, quæ etiam ei ad quem missi haud necessariò eduntur, Aliud de literis Credentialibus (Credentz Schreiben) dicendum est; quibus se ut Legatos missos esse, probant. Ac etiam quandoque ita mittantur Legati, ut pro arbitratu expediant rem: ubi tamen etiam consultius est, si negotium moram admittat, ut vel mittens de eo quod agitur certior reddatur, vel sub sperati negotium concludatur.

13. Tandem etiam Lautea seu munera, quæ foris Legatis dantur, non facile sunt acceptanda; nisi qualitas & favor causæ, ea ut recusentur, non admittat.

LIBER TERTIUS POLITICORUM.

De

Incrementis Imperiorum.

Caput unicum.

NUnc de *Augmento* Reipublicæ, pro institutionis ratione, paucis agam. Quod vel est internum, vel externum: & Internum quidem, vel est naturale, vel industriale.

2. Amplificatio Reipublicæ naturalis: fit,

vel per populi multiplicationem; vel per Territorii cultarum. Populus multiplicatur, venerem vagam coërcendo, cœlibatum (si non sit castus) prohibendo, πολυτεκνίαν remunerando. Cultius autem territorium fieri solet: si sylvæ non negligantur; si ne minima ejus pars inutilis remanere permittatur.

3. Industriale Reipublicæ augmentum: tùm in ejusdem altitudine, ac dignitate; tùm in facultatum ac opum, tàm publicarum quàm privatarum copiâ consistit. Quô & pertinent admiranda substructionum, quæ non debent esse vana, sed commoda, & aliquam habentia continuam utiltatem. At de interno hocce incremento, non est quòd pluribus agatur; cùm si ritè conservetur & administretur, eo ipso melius reddatur.

4. Externè verò, dicimus Rempublicam augeri; cùm territorio aliud terræ spacium accedit. Ubi imprimis est notandum, ut meliores reddantur, non ut amplificentur ditiones, accurandum esse magis.

5. Etenim ut corpus humanu, si nimis sit magnum, vel inflatum; multos humores vitiosos parit: ita pariter imperium, suâ magnitudine laborat haut rarò; externumque hocce incrementum, utilitas interdum dissuadet, & tuta est potentia, quæ viribus modum imponit.

6. Ve-

6. Verùm amplificatio, ab externo quæ fit; vel voluntaria eſt, vel violenta. Ad illam refero; emptiones, ſpontaneam exterorum oblationem: quando nempè defenſionis gratiâ, Civitas, vel alius infirmior ſtatus, potentiori ſe dedit: quâ ratione Reſpublica Romana crevit. Hucq; pertinet, wann einer ſein Eigenthumb zu Lehen aufftraget.

7. Ad hanc eandem ſpeciem Incrementi ſpectat, tùm plures Reſpublicæ coadunantur: quod Principi commodiorem reddit adminiſtrationem; ſed quandoq; Privilegia Provinciarum confundit, & obfuſcat.

8. Amplificatio territorii coacta, fit jure Belli; deditione nempe, vi procurata, vel expugnatione. Et hic abſolutum, liberumq; eſt Jus Victoris: niſi pacta intercedant; metuq; extorta; modò Bellum fuerit juſtum.

9. Sed verò nec Religionis propagandæ ergo; vel ut barbari populi, cultiores, politioreſque reddantur, Bella ſunt ſuſcipienda.

10. Porro autem Regnum nuper partum tueri, quam acquirere, difficilius habetur. Suntque etiam ſingularia novi Regni arcana.

11. Ac nempè ea feliciſſimè Coloniis retineri, cenſent nonnulli. Huncque morem Romani uſurparunt. Cui ſimilis eſt tranſpoſitio populorum, Aſyriis & aliis Monarchis, quæ in uſu fuit. Prodeſt etiam Jus & Linguam Victoris

ris, cunctis Provinciis subjectis communicare; Civitatem item largiri, conjugia miscere &c.

12. Populi Septentrionales, per Feuda, Militibus suis primariis concessa, terras devictas in obedientia sat commode conservârunt. Quibus non absimiles sunt Turcarum Timariæ: qui iis mediantibus, semper Militem in parato habent.

13. Præsidia perpetua & Fortalitia, ferè minùs probantur. Licet etiam Romani habuerint Legiones in limitibus, & quoque ubique Turres ac claustra posuerint in terris occupatis. Sic quoque hodie Hispani, per Citadellas (quas ideo vocant *Castigavellacos*) sibi subditas ditiones conservant.

14. Ac sunt tamen, qui hosce modos posteriores, mitiores esse putant; quàm Colonias, transpositionem populorum, Feudorumque Instituta: cùm indigenæ iis ferè prorsus extinguantur.

15. Sunt qui per vastitatem desolationemque, retinent Provincias devictas: eò quod hac ratione minùs nocere possunt.

LI-

LIBER QUARTUS & Ultimus,

De Morbis Rerumpublicarum, earumque causis, præsagiis, curatione &c. Caput Unicum.

ORdinis tandem ratio postulare videtur, ut ad *Curam Rerumpublicarum*, Medicnamque Politicam accedamus: ubi primùm *causæ Morborum*, quibus scilicet Imperia mutantur, vel evertuntur, erunt indagandæ. Frustrâ enim, & non nisi empiricè, remedia tentat, qui causarum est ignarus.

2. Harum una generalissima, existit; quod nil genitum soleat esse æternum. Hincque nullum Imperium, utcunque magnum, potuit durare. Sic ipsum Regnum Israeliticum est excisum; nulla ferè vestigia apparent, trium priorum Monarchiarum. Ac imperium Romanum (quod æternum credebatur) ita est immutatum, ut planè aliud videatur, ac vetus olim fuit.

3. Sed cùm Mundus casu haut gubernetur; Dei sanè Providentia, ut ubique, ita & hoc quoque in negotio, primas sibi meritò vendicat partes, eaque non sapientissimè solùm

lùm, sed & omninò juste, cuncta agit; ac etiam ita procedit, ut Piis & devotis, nulla ruina Mundana obsit.

4. Stellarum verò positus, Astra nova, Cometæ, aliaque cœli & terræ signa; non causa, sed quandoque denuntiationes sunt mutationum.

5. Posito autem, Astrorum cursum, & hîc ac in cunctis negotiis humanis, effectum aliquem habere: non tamen is tangit eos, qui Cœlum Astrale suspiriis, votisque transcenderunt. Quod & innuit Abenezra, cùm alicubi dicit: Filii Israelis non transeunt sub Rotâ.

6. Numeros etiam Fatales, Platonisque periodos Rerumpublicarum (quæ utpote propter obscuritatem, in Proverbium abjerunt) tutius negligentur, quàm extricantur.

7. Impii, & plane Ethnici verò sunt, qui Deum ipsum vel fato, vel Naturæ alligant: quorum illud Stoici faciunt, hoc subtiles athei, atque Epicuræi.

8. Certè Providentia etiam Divina, non ex absoluto decreto, Regna evertit; sed ob Injustitiam, aliaque peccata Magnatum vel Subditorum. Ejus tamen processus admodùm est obscurus: quia nempe is est de Reservatis Divinæ Majestatis; ac etiam recessus animorum humanorum prorsus latent, nosque ex fal-

fallacibus conjecturis, ab externo desumptis, cogimur judicare.

9. Suntque *Morbi Rerumpublicarum* in differentiâ duplici: interdum enim interit Respublica, interdùm convertitur tantùm in suis formis; quandoque etiam pervertitur, cum scilicet Status in contrarium vitium transit.

10. Hîc verò, itidem ut in Medicâ arte, differentia est constituenda, inter causas & Symptomata Morborum: suntque illæ curæ palliativæ si quis accidentia & sequelas tantùm, non ipsam scaturiginem causarum, removere velit.

11. Hisque morbis, in citò & dextrè, medela adhibeatur; in Anarchiam & Tyrannidem, aliosque morbos transeunt mortales.

12. Subsequitur hosce affectus, interitus Rerumpublicarum; qui plerunque vel ab hostibus, vel aliundè vi majore obtingunt: cum scil. terræmotibus, diluviis, peste. variisque peccatorum pœnis, vel pereunt vel affliguntur Civitates atque Regna.

13. Sed magis ad speciem perveniendum, & de causis quæ in specie, singulis Rerumpublicarum formis sunt perniciosæ, est agendum.

14. Monarchas perdit licentia nimia, privati affectus, neglectio publici boni: deinde rerum copia (undè luxuria progeneratur) Amici

mici item improbi (*Mignons* Galli, *Privados* Hispani vocant) &c,

15. Legitimum Regnum (vel etiam Status mixtus) convertitur in Tyrannidem, aut Dominatum, cum Aulico-Politicis (qui plerunque odio prosequuntur libertatem) facilè aurem præbet Princeps vel cum Regni Ordines, communisque Libertatis custodes, timidi sunt ac imperiti; quod fit, si sumantur ex infimâ plebe, aut dependeant à superiori.

16. Principes quidem boni, amant congruam suorum subditorum, inprimis magnarum Urbium libertatem: sed plerique tamen volunt, ut cuncta ab ipsis recognoscantur; nec ita feratur equis Auriga, ut non audiat currus habenas.

17. Et sanè Ordinum licentia nimis magna, quæ haut rarò tegitur larvâ libertatis; ferè etiam tenuioribus est perniciosa. Undè vulgò dici solet: Maximam esse libertatem, vivere sub Principe magno. Et ita etiam qui optant nimis deprimi potentiam Imperatorum, quid petant, nescire videntur.

18. Aristocratiæ Morbus, est Oligarchia; cum nempè pauci quidam, cæteris imperant ut servis, cum eos non putant suos esse concives. Et ideo populus, vel ipse ad se Imperium rapit (ut factum fuit in Helvetiis, & etiam Liberis quibusdam Civitatibus Imperii nostri,

Da die Ritter-Rath abgeschafft worden) vel unius peteſtatem, quàm factionem Magnatum, potiorem habet, unumque Principem, multis Tyrannis opponit.

19. In Monarchiam vel Tyrannidem Democratia mutatur: cùm plebs adulationem admittit, nec ſe decipi ſentit; vel unus aliquis nimiam popularitatis famem affectando, Optimatum deprimit auctoritatem. Quæ artes olim Piſiſtrati Athenis, & Romæ Julij Cæſaris fuerunt.

20. Democratiæ itidem morbus eſt, Ochiocratia; impotentia ſcil, turbulentæ Plebis, quæ pernitioſiſſimus interdum fit Tyrannus, optimos inprimis odit: tandemque in Anarchiam, aut unius Dominatum abit.

21. Suntque *Præſagia ruinarum* ac converſionum, haut ſolùm in Naturâ (Cometæ puta, Prodigia oſtenta &c.) ſed & quædam prudentia politica deprehendit: quando nimirum res privatæ magis, quàm publicæ amantur, ſi reputatio faſtu definitur, & interna negligitur. magnitudo; quando pauperum oppreſſio, rerum pretia, & prodiga luxuria, ad ſummum pervenêre: quando deficiunt duo vincula civilis converſationis, Juſtitia & charitas nimirum, &c.

22. *Rempublicam emendare* [illegible]ncillimum eſt: idque non conſiſti[illegible] [illegible]eſtate humanâ;

ergo

ergo ante omnia Deus est placandus: supplicationibus putà. Jejunijs, seriâque vitæ emendatione. Quod & olim Romani, omnesque alij ferè populi agnoverunt, licet Deum verum ignorârint.

23. Circa Tyrannidis Medicinam, variè disputatur. Sed hoc carere videtur dubitatione; quod ubi Princeps mediatus subditos premit, ij confugere queant ad superiorem. Ita Cæsar vel Camera, adiri solet, si aliquis status Imperij subditos suos nimium gravet. Nec ferè aliâ ratione, Imperator favorem, auctoritatemque suam, melius rectiùs conservare potest; quàm si subditos mediatos, à suis Dominis, præter jus fasque haut gravari sinat.

24. At ubi Princeps extra Rempublicam, superiore quidem caret; in ipsâ tamen Republicâ, vel Ephoros, vel leges Fundamentales habet; in Ordinum potestate situm est providere; nè Respublicâ licentiâ Principis capiat detrimentum. Aliâs enim frustrà, vel Leges vel Ephori constituerentur; si eo destituerentur effectu. Ac ita in Imperio Germanico Romano, olim Heinricus IV. Nassovius Adolphus, ac quoque Wenceslaus depositi fuerunt.

25. In plenario verò Regno, nunquàm resistitur Reg[illegible] Jurisdictionis: licet defensionem (sed mult[illegible]atam) plerique

concedant; quæ omnino differt à deturbatione.

26. In successorio Regno, etiam Agnatis & Primogenito, Jus aliquod Regis corrigenda tribuunt nonnulli. Quidam itidem dicunt, vicino incumbere, subditos Tyrannide oppressos liberare.

27. At in motibus contra Regem, etiam ex causâ per se justâ, concitandis, cautè omninò est, procedendum: hîcque sæpe periculosa magis est talis medicina, quàm morbus ipse: nec rarò, qui libertatem prætexunt, Imperium sibi quærunt, ut jam monui *supra numer.* 17.

28. Rex à Magnatibus sui Status non opprimetur; si quæ sui contemptum pariunt, vitaverit; effeceritque, ne vasallorum & officialium potentia nimis crescat: vel si talis sit, ut ea commodis rationibus diminuatur.

29. At optima turbarum, quæ à populo concitantur, prophylactica videtur Medicina, clementer ac justè imperare, *tenere i popoli bassi* (ut alicubi loquitur Boccalini) & removere ac vitare motuum causas; (oppressiones puta ac non necessarias exactiones &c.

30. Seditio verò; vel rebellio jam concitata, in herba statim est opprimenda: ac quidem rigidiore severitate, si nulla causâ proba-

bilis subsit; mitius verò tunc erit agendum, si adsint prætextus non planè nulli.

31. Popularis Status, contra unum conservatur: si nulli nimia aut longior potestas in Magistratu detur. Græcanicæ etiam Respublicæ, adversus novitatis studium, Ostracismo sunt usæ; isque non omni prorsus caret ratione: si nempè haut virtutem puniat veram, sed vitiosam ambitionem, sub virtutis schemate latentem.

23. Itidem in liberâ Republica, qui Imperium invadit, à quocunque occidi potest; & ideò Julius Cæsar ex sententiâ quamplurimorum, juste interemptus fuit. Sicque facienda omninò est differentia inter Tyrannum Juris & eum, qui talis est solùm administratione, de quo supr. *num.* 28. *& seqq.*

33. Ex Optimatibus si aliqui contra Rempublicam conspirent, tum reliqui optimates resistere possunt: qui si non sufficiant, vel omnes simul degenerârint; populus peragere potest ea, quæ in Monarchiâ contra Tyrannum.

His autem similibusq; meditationib. non est quod contenti simus; sed necesse omninò videtur, ut (1) experientia quoque adsit: aliam namque faciem Respublica habet (cui propius ad hanc vel illam accedimus) quàm

qu

quæ in libris apparet; & ad discursum solum, historiarumque politicum intellectum, ejusmodi præcepta conducunt. Sicq; requiritur etiam (2) cognitio particularis Reipublicæ illius, in quâ nobis est vivendum, vel tractandum: pariter ut Medico non sufficit de febrib. multa legisse, multorumq; febrici tantium historias perlustrâsse; sed necesse insuper est, ut in individuo, hunc vel illum ægrum curare sciat: ad quod sanè opus est penitiori disquisitione, omniumq; circumstantiarum consideratione accurratâ. Cumprimis a. (3) Pietas necessaria erit, & quæ hanc sequitur, virgula seu Manuductio divina. Unde etiam olim Socrates apud Xenophont. *sine divinatione, nullam Rempublicam consistere posse putavit. Sicque Ethnici Oracula Hebræi ac etiam prisci Christiani varias Divinas revelationes habuerunt.*

Lectori Salutem.

Et hîc brevissimis hisce propositionibus adumbravi speciem ac formam aliquam Politicæ Doctrinæ. Idque feci sine omni studio partium, aut factionum: & quidem in gratiam

Juniorum. Qui vicissim tenuibus hisce principiis haut debent esse contenti; sed solidum, integrumque amplissimæ hujus artis absolvere corpus: cujus quasi primæ lineæ solùm hîc ductæ conspiciuntur. Ac si ex meâ Interpretatione, quæ succinctè hîc dicta, plenius quis cognoscere velit, cum instructum esse decet à me jam pridem vulgatis libellis; quorum tituli sequuntur.

I.

Principium & Finis Politicæ Doctrinæ, *hoc est*, Dissertationes Duæ.

Quarum Una;

1. *Præcognita* Politices proponit.

Altera;

2. De *Republicâ curandâ* agit.

II.

3. De *Majestate in genere*, ejusque Juribus specialibus:

nempè.

4. De *Ecclesiastico Majestatis Jure.*

ut &

5. De *Juribus Majestatis Politicis.*

Accedit.

6. Tractatio singularis, de *Reipublicæ statu Mixto*,

III.

7. De *Monarchiâ.*
8. *Aristocratiâ.* } *generatim.*
9. *Democratiâ.*

10. De

10. De Reipublicæ Statu Subalterno.

11. De Reipublicæ formarum inter sese comparatione.

IV.

De Tribus Domesticæ societatis specieb. nempè

12. *Maritali.*

13. *Filiali.*

14. Et *Servili.*

De Jure, Ordinibusque Civium. ubi agitur.

15. De *Cive*, & *Peregrino.*

16. Ac item *Nobili.*

V.

17. De *Jure Rerum.*

18. *Familiarum.*

19. *Collegiorum* & *Academiarum.*

20. Aliarumque *Universitatum*, ac item *Territoriorum.*

VI.

De Informatione & Coactione subditorum.

Ubi agitur.

21. De *Educatione*, *Studiis* item *literarum* atque *Peregrinatione.*

22. Ut & de *Curâ Religionis.*

23. *Præmiis* & *Pœnis.*

24. *Legibus.*

25. *Magistratibus* &

26. *Censoribus.*

VII.

27. De *Ærario* Publico.

VIII.

28. De *Vitæ sustentatione. Curâ Sanitatis*, & *Sepulturâ*.

IX.

29. De *Legatis*.

30. *Sessionis præcedentiâ*.

31. Ac item de *Pacis jure*.

32. De que *Arcanis Rerumpublicarum*.

X.

33. De *Fœderum Jure*, Patrocinio & Clientela; ac item de Neutralitate.

XI.

34. De *Arte*, *jureque Belli*.

XII.

35. De *Incrementis Imperiorum*: eorumque amplitudine procurandâ.

Qui libelli omnes apud Lazari Zetzneri piæ memoriæ, Hæredes, Argentinæ prostant, & simul, ac etiam separatim venundantur.

His conjungendi sunt Libelli etiam subsequentes.

I.

36. Dissertationum Nomico-Politicarum libri tres, ubi de *successione*, quæ Regni sit jure, & *Electione Regiâ* disputatur. Francofurti apud Joannem Bernerum.

II.

37. De *Naturâ Populorum*, ejusque pro loci positu, temporisque decursu variatione. Ac insimul etiam de *Linguarum ortu & immutatione*. Tubingæ apud. Philibertum Brunnium.

III.

38. De *Consilio Politico* axiomata aliquammulta. Tubingæ apud Eberhardum Wildium.

IV.

39. De *Jurisdictione Imperii Romani* Discursus, ad præsentem Reipublicæ Germanicæ faciem accommodatus. Francofurti apud Joh. Bernerum.

V.

40. Disursus: Ob zu wündschen / daß alle Christliche Herrschafften / einem einigen Oberhaupt vnterworffen weren/Auch was auff die nun ein Zeithero auffgestandene Propheten vnnd herfürgesuchte Propheceyen zu halten. Junctus est hic Discursus iteratæ editioni Thomæ Campanellæ, de Hispanicâ Monarchiâ. Anno C. 1623. prostat apud Eberh. Wildium.

Horum verùm Tractatuum cunctorum, cum Synopsis præsens, quoddam quasi summarium existat: illâ proindè cum hac jungi, ac si tanti videntur, ordine subsequenti legi debent.

Ac nempè Synopseos Doctrinæ Politicæ Præcognita: ubi Politicæ, Politicesque prin-

cipia proponuntur, explicata invenies eo in libello, qui in margine n. x est prænotatus.

LIBRI PRIMI POLITICORUM: de Civitatis constitutione pars I. de Imperantibus agens.

CAput I. de Majestate in genere, enodatur libello eo, qui *num.* marginalem *16.* præfixum habet.

Cap. II. de Juribus, quæ Majestati competunt in Ecclesiâ, Ecclesiasticisque rebus. *vid. num.* marginalem *26.*

Cap. III. de varijs Politicis Juribus Majestatis. adde *Num,* 33.

Cap. IV. de Imperio, quatenus respectu Imperantium consideratur, generatim tractans. Hujus capitis propositiones septem priores explicatas invenies in primis tribus capitibus libelli *Num. 3* notati. Propositio autem octava un cum subsequentibus usque ad finem hujus Capitis, referendæ sunt a *Num.* 44.

Cap. V. de Monarchia, illustratur libello, d. N 48. signito.

Cap

Cap. VI. de Regia Electione & successione, junge *Num.* 54.

Cap. VII. de Statu Polyarchico generatim; de quo etiam agit libelli sub *Num.* 67. caput primum.

Cap. VIII. de Aristocratiâ. de qua vide *n*, 69.

Cap. IX. de Democratiâ. vid. *Num.* 71.

Cap. X. de statu Reipublicæ mixto vid. *N.* 75.

Cap. XI. de Imperijs subalternis. vid. *N.* 80. ac quoque ad capitis. 10. & 11. uberiorem intellectum conducit *N.* marginalis 9.

PARS SECVNDA LIBRI Primi de subjectione tractans.

Cap. XII. de Natura populorum. vid. *Num.* 84

Cap. XIII. de Societate Mariti & Uxoris. vid. *Num.* 87.

Cap. XIV. de Liberorum & Parentum societate. vid. *Num.* 91.

Cap. XV. de Dominis & Servis. vid. *Num.* 93.

Cap. XVI. de Jure Civium, Incolarum & Peregrinorum versantium in alienâ regione. vid. *Num.* 96.

Cap. XVII. de Subditis, quatenùs unus altero eminentioris est conditionis. vid. *Numer*, 100.

Cap. XVIII. de Subjectione rerum. vid. N. 104.

Cap. XIX. de Familiâ, Collegio & Academijs vid. *Num.* 107.

Cap. XX. de Jure Universitatum, Territorij, ut & Republicâ ac Civitate. vid, *Num.* 20. Ad cujus etiam propositionem ultimam referri debet *Num.* 114.

LIBRI SECVNDI, DE Conservatione Civitatis Pars Prima, complectens ea, quæ Reipublicæ internam prohibent labem.

QVâ de re videri potest libelli sub. *N.* 114, caput primum,

Caput I. de Educatione, Studijs item literarum, atque Peregrinatione; quò confert libellus sub *Num.* 120.

Cap. II. de Religione, de quâ vide *Num.* 124.

Cap. III. de Præmijs & Pœnis. vid. *Num.* 129.

Cap. IV. de Legibus. consule *Num.* 134.

Cap.

Cap. V. de Magistratibus adde *Num.* 139.

Cap. VI. de Censoribus & Consiliarijs, Cujus pars prior *Num.* 114. pars verò posterior *Num.* 138. declaratur.

Cap. VII. de Ærario. vid. *Num.* 146.

Cap. VIII. de Cura Corporum. vid. *N.* 152.

Cap. IX. de Arcanis & simulachris Rerumpublicarum. vid. *Num.* 155.

PARS SECVNDA LIbri Secundi de Conservatione & Administratione Civitatis respectu exterorum.

Cap. X. de Vicinis, & prærogativâ Sessionis vid. *Num.* 161.

Cap. XI. de Fæderib. & Neutralitate. v. N. 165.

Cap. XII. de Bello, ad quod refer Num. 171. Ac quia ad finem capitis hujus aliquid etiam aspergitur de Pace, huc pertinet *Num.* 155.

Cap. XIII. de Legatis. vide *Num.* 182.

LIBRI TERTII POLIticorum de Incrementis Imperiorum, Caput Unicum.

Illustratur sub *Num.* 185.

LIBRI QVARTI ET Ultimi, de Morbis Rerumpublicarum, earumque causis, Præsagiis, Curatione &c. Caput Unicum.

Declaratur sub Num. 589.

ILLU-

ILLUSTRISSIMIS AC CELSISSIMIS
Principibus ac Dominis.

DN. CHRISTIANO LUDOVICO,
DN. GEORGIO WILHELMO,
DN. JOHANNI FRIDERICO,
DN. ERNESTO AUGUSTO,

Fratribus Germanis, Ducibus, Brunſwicenſibus & Lüneburgenſibus, Dominis ſuis clementiſſimis.

BEllatorem duo perficiunt; *Prudentia & Fortitudo.* Sine Fortitudine Prudentia diu reſiſtere poteſt; ſine Prudentiâ Fortitudo nulla eſt, & quæ ejus vicem ſubit, audacia ruinam ſtruit. Hinc verè dictum, *Duplum cernunt, qui literas didicerunt.* In bello maximè eſt opus conſilio, quia & *celerrimè & prudentiſſimè* eſt conſulendum *Celerrimè*; quia occaſiones rapiendæ & in arenâ conſilium capiendum. *Prudentiſſimè*, quia non licet his peccare; primus error capitalis eſt. Hinc *Agamemnon* non decem Ajaces aut Diomedes, ſed Neſtoras optabat. *Pericles*, Græciæ fulmen, annos quadraginta eloquentiâ populum, fortitudine militem, utrumque prudentiâ gubernabat. Bella multa conſilio; pauca robore perficiuntur. Improbè fecit *Aggripina* cùm Neroni imperaturo negavit convenire Philoſophiam; timebat enim, ne literis cultus

è poteſ

è poteſtate Matris citiùs exiret. Nec rectè *Carolum filium Ludovicus* XI. ſcire plus noluit latinè, quam illa verba: *Qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare.* Potius illud laudandum, quod olim Iulius II. Pontifex dicebat: *Literarum ſcientiam in plebejs argentum eſſe, in nobilibus & Principibus gemmas*; addam ego cum insigni quodam Politico, *in Ducibus eſſe Victoriam.*

Rectè hæc perpenditis, *Celſiſſimi Principes* dum Dilectiſsimum *Veſtrum Parentem, Ducem & Heroem noſtro ſeculo Bellicoſiſſimum & Feliciſſimum* æmulaturi animum prius ſapientiæ ſtudiis imbuitis, Lingvas varias excolitis. Hiſtorias priſcas & recentes ad imitandum Vobis ob oculos ponitis. Gratulatur hinc ſibi dulciſſima noſtra *Patria.* Novit enim, ſe aliquando *Duces* nacturam, qui militi grati futuri ſint, qui feroces temperare, torpentes erigere, timidos firmare poſſint; qui ſocios retinere, dubios allicere, hoſti potentiam detrahere, ſocios ſuſpectos reddere, ipſos inter ſe committere; imò non tantùm belli, ſed & pacis tempore Cives, eorundemq; mores rectè informare & ad Bonum publicum ordinare queant. Quæ ſanè omnia contingent *Prudentiæ Civilis* beneficio, & quidem eò feliciùs, quò compendioſius in eâ verſamur. In hunc finem convenientiſſimâ me modo univerſam Civilem Prudentiam paucis pagellis comprehenſam in eâ formâ exhibere volui, ut, ſi quis eam familiarem ſibi reddat, & in Hiſtoricorum lectione crebrò applicet, brevi ad felicitatem civilem, quam in hac quidem vitâ expetimus, aſpirare valeat.

Breve illud ſcriptum, *Celſiſſimi Principes,* ad pedes Veſtros humilimâ cum animi devotione depono; non quidem ut munus *tantis Principibus* condignum; ſed ut qualecunque ſubjectionis debitæ ſpecimen & monumentum: quod ut benigniſsimo & clementiſsimo vultu recipiatis, ſummâ cum ſubmiſsione oro.

Deus

Deus Opt. Max. V. V. V. V. C. C. C. C. vitæ diuturnioris incolumitatem concedat felicissimam, dona ex Illustrissimo Dn. Parente in Vos velut transfusa indies magis magisq; adaugeat, omnigenamq; cum totius Patriæ nostræ salute prosperitatem impertiatur!

C. C. C. C. V. V. V. V.

Subjectissimus

VVILHELMUS Witzendorff
Medingâ-Lunæburgicus.

In Epitomen Civilis Prudentiæ Dn. M. VVilhelmi Witzendorffs Phil. Pract. Prof. Public.

PRæcoris studium celebritatis,
scribendi Cacoenthes, arrogansque
scriptorum titulus, quibus (dolendum!)
Jam totus graviter laborat orbis,
Witzendorf, decus eruditioris
gentis, delicium Dei, & voluptas
humani generis tuum libellum
Moralis Sophiæ brevem libellum.
non, quod forsitan hic vel ille labâ
Inflatus sapientiâ putabit.
Prelo subjiciunt; Sed annuente
Phoebo Prussiaco, novus Professor
factus nostri Academici Lycei,
Ut Prudentia, quæ Sophis vocatur
Civilis breviter modô probatô
magni Judicii viris Juventæ
tradatur, studiosiùs laboras.
Nam quod latiùs explicat seqvaci
Cum turbâ nitidus scientiarum
fons Aristoteles sagaciori
Illud mente revolvis, atqve parvo

In systemate contrahis rotundè,
quod velut rutilus micat pyropus
gemmas inter & Indicos lapillos,
& ceu Tyndaridæ, gemella celso
splendent astra polo, volansque Cygnus
stellis præ reliquis, nitet micatque
inter cœtera scripta, queîs acuti
Civilis Sapientiæ Magistri
sunt laudem meriti perennis ævi
Cordis dimidium mei, Wilhelme,
qui prodesse cupis tuis Juventæ
scriptis, sive nigras dies tenebras
su clarum revehant diem tenebræ
excellentior eminentiorque
quod si vis fieri, eruditionis
fetus consimiles para, paratum
hec nobis opus invide, novata
in quo dogmata Zwinglii refutas
argutè: Hæreticis enim dolosis
mox est pellis ovina detrahenda
ac ne decipiant rudem popellum.

Excellentißimo Dn. Autori
amico suo singulari
fecit Regiomonti.

GEORGIUS Gülich
Megapolitanus.

CIVILIS PRUDENTIA.

CIvilem Philoſophiam aggreſſuri *Prolegomena* nonnulla præmittemus, *generalem* ejus *naturam & conſtitutionem* exhibentia.

1. *Civilis* hæc *Philoſophia* aliàs dicitur *Practica*, vel ἀπὸ τῶν πρακτῶν, ab Objecto; cùm verſetur, in iis, quorum actio moralis: vel ἀπὸ τῆς πράξεως, ab operatione, quæ finis eſt hujus doctrinæ & virtutis.

2. Cum eâ & *Subjecto* (facultate ὀρεκτικῇ) & *Objecto*(Actionibus, quatenus illæ honeſtæ) & *Fine* (Summo Bono Practico) idem quid eſt *Prudentia* habitus ille cum rectâ ratione activus, ſive qui ſecundum veram & rectam rationem agit illa, quæ homini bona ſunt, & vitam hanc decent & juvant, *Ariſt.6.Eth.c.3.*

3. Unde conſequitur, *Civilem Philoſophiam* rectè per habitum activum definiri.

4. Et ille habitus eſt in *homine* tanquam *Subjecto de nominationis*; & in ejus *Animâ* tanquam *in Subjecto inhæſionis*; in *facultate* verò *appetente* tan-

tanquam in *Subjecto perfectionis*, quam ita perficit, ne immoderatè appetat.

5. Objectum Philosophiæ Civilis est *Actio humana*, quatenus in eâ honestas refulgere debet. Ubi nota, *Actionem* h. l. summi *confusè & imperfectè*, prout ea in se præcise considerata vel rectè vel vitiosè componi apta nata est; & ad honestatem informari debet: *determinatiùs & perfectiùs* sumitur in Definitione Summi boni.

6. *Finis* est ἡ ζωὴ, ἡ πρᾶξις, S. Bonum Practicum, quo impetrato omnis propter eum instituta actio cessat.

7. Dividitur ex diversâ consideratione Objecti & Finis in *Partem Generalem & Specialem*. *Objectum* enim, Actio sc. Humana consideratur *primò generaliter & directivè*, quatenus virtuosa & honesta dici debet; & hinc habemus *Ethicam*. Deinde *applicativè & specialiter*, quatenus debet esse Actio honesta hominum vel *Civiliter* (unde oritur *Politica*;) vel *Domesticè* (unde *Oeconomica*) viventium. Simili modo consideratur quoque *Finis*.

8. Ex quâ consideratione apparet, *Ethicam*, *Oeconomicam & Politicam* non esse distinctas *Disciplinas & Prudentias*, sed unius Disciplinæ, quæ Prudentia dicitur, *distinctas Partes*.

9. Quæ omnes *Ordine Analytico* tradi debent; cùm semper ab iis incipiendum sit, quæ

notiora nobis sunt, non quæ naturâ, juxta *Arist. 1, Eth. c. 4. t. 21.* Primò itaque perpendendus Finis: secundò *Media* ad Finem illum perducentia.

10. Quibus ritè præmissis rectâ jam progredimur ad rem ipsam, & *primò* ad PARTEM CIVILIS PHILOSOPHIÆ GENERALEM, quæ ab *Objecto & Fine ἀπὸ τῶν ἠθῶν* Ethica dicitur, actiones morales viri boni *præcisè & in genere* absque determinatione ad certum & specificum statum seu conditionem considerans, sub ratione honestatis, & quatenus simpliciter respiciunt civilem beatitudinem, quæ in hoc mundo hominem reverâ civiliter felicem denominare queat.

11. Dari autem ejusmodi *beatitudinem civilem* ceu ultimum hominis finem inde patet, quia aliâs appetitus non haberet in quo acquiesceret, quodq; per se appeteretur, & sic daretur progressus in infinitum, vanusq; adeò & inanis noster esset appetitus, juxta *Aristot. l. 1. Nicom. 1.*

12. Consistit ea I. non in *Voluptate corporè*, ut *Aristippus* statuit, & ex parte *Epicurus*, cùm ea homini cum brutis sit communis: Summum autem bonum hominis sit proprium, *1. Eth. c. 6.* nec II. in *Honore*, ut nonnulli Poli- *Aristot.* χαρίεντας gratiosos appellat, cùm non sit proprium bonum ejus cui defertur: siquidem

dem est honorantis non honorati: nec III. in *Virtute* ut Stoici & Cynici arbitrati sunt; cùm *Virtus* non propter se, sed ut propter eam viti boni & felicis titulus sequatur, virtus expetatur: nec IV. in *Divitiis*; cùm non propter se appetantur, sed propter vitæ usus necessarios juxta *Cic. 1. offic.* nec V. in *Ideæ contemplatione*, ut *Socrates* & *Plato* statuerunt; cùm non in actione, sed nudâ speculatione consistat, & à practicis operibus procul remóta sit: sed VI. in Actione secundum virtutem.

13. Hinc eam *cum Aristot.* ita definimus: *Beatitudo* seu S. Bonum Practicum est operatio animæ rationalis secundum virtutem optimam & perfectissimam in vitâ perfectâ.

14. Dicitur 1. *Operatio animæ rationalis*, siquidem est nobilissimus hominis effectus; ideoque tali tribuendus potentiæ, quæ inter omnes præeminet, hominemq; ab aliis discriminatum arguit. Ubi ulteriùs observandum, 1. Operationem & Actionem h. l. intelligi perfectam non imperfectam. 2. per modum (non causæ efficientis & fundamentalis S. Boni, sed) formæ ac postremæ perfectionis, ita ut S. B. essentialiter & formaliter consistat in actione perfectâ. Hinc eleganter *Piccolomineus gr.* 9. Colligamus S. Bonum ut in fundamento collocatum esse in virtute: ut in formâ ac postremâ perfectione, in actione honestâ.

tâ Dicitur II. *secundum virtutem* (non numericè seu specificè, sed indefinitè & genericè sumtam, omnibus speciebus sub se contentis inclusis,) & quidem *perfectißimam & optimam*; à quâ aliquis de nominatur, quæ in ipso maximè splendet, secundum *Aristot. lib.* 1. *Nic. c.* 5. Si plures sint virtutes, ex optimâ & perfectissimâ denominatur. Dicitur III. *in vitâ perfectâ*: ubi intelligitur *perfectio* 1. *ætatis*. Ob absentiam enim maturitatis in ætate pueri S. Boni non sunt capaces & *ab Arist*. idonei auditores Ethicæ negantur. 2. *Temporis*. Ubi tamen intelligatur *perpetuatio* non *numerica* (quia Beatus tum variarum virtutum actiones edit, non necessario unius saltem; tum relaxationis gratiâ cessationem quandoque instituit;) sed *specifica*, ita ut homo à virtutum tramite in semitam vitiorum non exorbitet, sed perpetuo tenore virtutem colat.

15. Summi Boni *Notæ*, *Conditiones & Affectiones* sunt hæ: 1. debet esse hominis proprium. 2. difficulter mobile. 3. sibi sufficiens. 4. faciens hominem τετράγωνον & stabilem. 5. absolutè perfectum, quod per se nunquam ob aliud expetendum est. 6. non violentum. Quæ omnia reperiuntur in *Aristot. hinc inde per totum librum* 1. *Ethic*.

16. Summi Boni *immediati Effectus* sunt, Bona Conscientia & Voluptas honesta.

17. De Conſcientiâ *ut ſic* agitur in Pnevmaticis, in capite de intellectu, cujus notitiâ quædam eſt Conſcientia : h. l. de eâ *ſpecificè* agimus & *reſpectivè* quatenus ſc. conſequens eſt noſtri Finis.

18. Et tum rectè ita definitur : *Conſcientia bona* eſt indubitatum judicium & recordatio de rectè cogitatis, dictis & factis, cum jure divino & humano certò & indubitatò conſentientibus. *Vatzquetz in 1. 2. tom. 1. diſp. 59. art. 1.*

19. Dicitur 1. quod ſit *judicium*: ſc. ut referatur ad Intellectum. Scire enim, conſcire, noſſe, judicare, actus ille præcipui conſcientiæ, non niſi intellectus eſſe dicuntur. Et quidem *Conſcientia* actus eſt ſcientificus de cogitatis, dictis & factis, per diſcurſum ſc. à principio progrediendo ad principiatum ſeu concluſionem inſtitutus. v. g. Honeſtè eſt vivendum. Tu ſemper honeſtè vixiſti; Ergo bene egiſti. *Propoſitionem* dictitat συντήρεσις (habitus ille actualis, quo aſſentimur principiis operationum) quæ non niſi ratione differt à lege naturæ & regulâ virtutis. *Minorem* notitia & recordatio præteritorum revelat & per appropriationem dicitur συνείδησις. Et ſic ſequitur *Concluſio*, quâ poſitâ excuſatio & animi tranquillitas oritur. *Conſcientia* reſpectu propoſitionis dicitur *lumen & lux*, reſpectu aſſum-

tionis, *testis* respectu conclusionis maximè propriè *judex*.

20. Dicitur 2. *indubitatum judicium*: ut opponatur 1. *malæ* conscientiæ, quæ semper cum hæsitatione & fluctuatione cōjuncta est. 2. *Probabili & opinativæ*, quæ certitudinem non habet. 3. *Scrupulosæ*, cùm statuitur quid licitum esse: sed ita tamen ut subsit scrupulus, qui vel rationabilis vel irrationabilis.

21. Dicitur 3. quod sit *recordatio*; propter peculiarem respectum, quem conscientia habet ad præterita.

22. Dicitur 4. *Rectè cogitatorum, factorum, & dictorum cum jure divino & humano consentientium*, ut opponatur Conscientiæ *erroneæ* seu *erranti*, cujus judicium à jure divino & humano dissentit.

23. Bonæ conscientiæ *Effectus* sunt: 1. ut excuset. Auctuali enim excusatione bonæ conscientiæ pro bene actis opus est, quando injuste accusatur, vel injuriâ afficitur. 2. ut recti judicii virtute efficaciter excitet ad benefaciendum, & retrahat ab eo, quod est malum, Hebr. 13. 18. 3. ut absolvat; non quidem ab obligatione; sed à culpâ & pœnâ. 4. ut soletur ac erigat. 5. ut tranquillet, à fluctuatione; sc. tædio, metu mentem avocando & salvam cupiendo.

24 Alterum S. Boni immediatum *consequens*

quens & effectum est *Voluptas honesta*, ab *Arist. lib.* 10. *Eth. c.* 4. ἐπιγιγνώμενόν τι τέλος, superoriens finis, eò quod operationem honestam terminet

25. Est autem *honesta voluptas*, subita & non impedita complacentia ex operatione honestâ percepta.

26. Dicitur 1. *Complacentia subita*: sc. ratione resultantiæ: siquidem statim quando operatio honesta perficitur, ea suboritur. Dicitur 2. *non impedita*: quando enim v. g. ex aspectu pulcræ picturæ sanus aliquis capit voluptatem, ægrotus nullam, fit inde, quod in sano fit operatio libera; in ægro impedita. Dicitur 3. *ex operatione precepta*: differt enim ab operatione; cum ejus sit affectio. Dicitur 4. precepta ex operatione honestâ: ut opponatur voluptati inhonestæ, turpi, ex malâ operatione ortum ducenti & ex eâ sub boni specie emergenti.

27. Summi Boni *Concomitantia* sunt: Amici, Sanitas, Divitiæ, Dignitas & Libertas.

28. *Amici* dicuntur, qui mutuâ benevolentiâ amicitiam inter se fovent. *Amicitia* verò est nil aliud, quam mutua & manifesta benevolentia inter aliquos, ob bonum aliquod, quod inesse putamus, *ex lib.* 8. *Eth. c.* 2.

29. *Benevolentia* h. l. intelligitur *generaliter*, quâ simpliciter bona alicui volumus, & ita

tec-

terminatur tantùm in volitione; non verò *specialis*, quæ ipsum velle in effectum externum producit. Hæc dicitur practica; illa theoretica.

30. Porrò Benevolentia hæc 1. debet esse *mutua*: unde fit, ut inter res inanimatas, ut & inter bruta amicitia vera esse non possit; quia deest reciproca benevolentia. 2. *manifesta*: nec sc. prorsus lateat, quin mutui officii signa aliqua edat.

31. *Objectum* Amicitiæ est τὸ φιλητὸν, seu amabile, quod triplex; *Honestum*, *Jucundum*. *Utile*, *l. 8. Eth. c. 2.*

32. Hinc Amicitia dicitur partim κυρία, *perfecta*, quæ honesta dicitur; partim *imperfecta*, quæ utilis & jucunda. Qui enim se amant mutuò, bene sibi cupiunt invicem, quà amant. In *perfectâ* quidem per se, seu propter ipsum amicum seu virtutem ipsam; in *utili* non propter se, nec propter amicum, & quatenus talis, sed propter mutuam utilitatem. Eundem ad modum & in *jucunda*. Nec enim facetos per se & propter se ipsos amant, sed propter oblectationem.

33. De *Perfectâ ex Aristot. lib. 8. Eth. c. 1.* notamus, 1. quod fit bonorum virorum & virtute similium. 2. quod sit rara; tum quia magna virorum bonorum paucitas & annona carissima; tum quod ad contrahendam hanc amicitiam

tiam opus longo tempore & diuturnâ consuetudine, quæ faciunt, ut minus frequens esse possit.

34. Dividitur quoq; Amicitia ratione *Subjectorum* in *Æqualem* (quâ plures dignitate, moribus & ætate æquales, ob boni alicujus amorem se mutuo amore prosequuntur) & *Inæqualem*, quâ plures bonis externis, dignitate, Virtute aut ætate inter se differentes, amore conjunguntur.

35. *Sanitas* est dispositio corporis debita qualitatumq; conformitas justa, quæ in actionibus hominem decentibus sub eundis sufficere potest. Ubi tamen nota, quod illa dispositio debita non ordinetur *simpliciter & efficienter* ad virtutis operationem; sed tanquam *conditio sine quâ non*, non ad ejus esse, sed melius esse.

36. Hanc *Dispositionem* si excipit apta membrorum conformatis & coloris svavitas, *Pulchritudo* oritur, per quam vir evadit hominibus gratus, adque morum exercitia accommodatus: non autem eo sensu, ac si absque eâ exerceri virtus nequeat; sed ut gratia virtuti intensius concilietur.

37. *Divitiæ* huc spectant, quatenus virtutum exercitiis accommodari & possunt & debent. Felici enim eatenus necessariæ sunt, quatenus sine eis secundum virtutem externe operari

non

non potest: ut luculenter patet in liberalitatis exercitio.

38. *Dignitas* est eminentia, seu splendor, qui contingit Personæ virtutibus præditæ.

39. Est vel *Major* vel *Minor*.

40. *Major* consistit tùm in *Honore*, tùm in *Gloriâ*: *Minor* verò in *Laude & Bonâ Famâ*.

41. *Honor* est Dignitas magno cum affectu per certa & evidentia signa, exhibetur illi, qui excellentis virtutis gradu & meritis in Rep. fulget.

42. Dicitur 1. *magno cum affectu*. Hic enim fundamentum est honorantis, ut virtutis exercitium honoranti. Dicitur 2. *per signa evidentia*, qualia sunt vox scriptura, gestus, detractio pilei, exosculatio manuum. Dicitur 3. *exhibitus virtuoso*; ut sc. innuatur, honorati magis esse honorem, quam honorantis: si nimirum consideretur non *activè & effectivè*, sed *paßivè & subjectivè*.

43. *Gloria* est dignitas, posita in consentiente approbatione, communique voce ac opinione insignis probitatis & meritorum alicujus.

44. Dicitur 1. *posita in consentiente, approbatione*: ubi intelligitur consensus bonorum; quippe penes quos solos est de virtute excellentiore, gloriâ dignâ judicare. Dicitur 2. *posita in communi voce* ac opinione; sc. ex parte

eorum,

eorum, inter quos est opinio: Nam dum eorum omnibus est eadem de virtutum operationibus æminentioribus alicujus opinio, illis comunis dicitur. Dicitur 3. *posito in signis probitatis & meritorum*: Ubi merita intelliguntur viri privati, indeterminatè & generatim præscindendo à meritis vel in cives &c. quippe quæ ut specialiora Politico adæquantur.

45. *Laus* est dignitas ob habitum virtutis etiam minus excellentem à paucioribus tributa.

46. Differt *Laus* ab *honore* & *gloriâ* non quidem toto genere sed gradu fundamenti; cùm laus requirat virtutem saltem minus excellentem.

47. *Bona Fama* est dignitas minor, consistens in honestâ bonorum de nobis opinione.

48. Ubi notandum, *bonitatem* h. l. requiri ex parte tum conferentis, tum illius, qui famæ particeps fit. Fundatur enim in recipientis vitâ bonâ seu à vitiis immaculata, nec non à bonis proficiscitur.

49. Tandem Libertas est facultas, quâ facilè actiones virtutis omni loco & tempore, nec non in omne objectum sine impedimento exercemus.

50. Dicitur 1. est *Facultas*, *quâ facilè actiones virtutis edimus*: non quidem *habitualiter*; hoc enim debetur virtutibus moralibus, à quibus

tan-

tanquam ab habitibus suis, operationes proficiscuntur: sed *modaliter*, quemadmodum & ipsa præter modum vix quicquam est. Dicitur 2. in omne objectum: intellige morale.

51. Opponitur *Servituti*, quæ nihil aliud est quàm affectio subjecti animi, suo arbitrio carentis: de quâ pluribus in Oeconomicis.

52. Tantum de *Fine, Summo Bono* ejusq; *Accidentibus & Concomitantibus*: sequitur *Medium* Fini subordinatum, quod est *Virtus*.

53. Sumitur autem Vocabulum illud *dupliciter*: vel I. *Potentialiter* pro naturali inclinatione & dispositione quâdam ad virtutem quæ proclivitas ad virtutem dicitur, semen virtutis & ex lumine Naturæ & libero arbitrio, quantulumcunq; in homine post lapsum in civilibus manet, resultat. Quæ notitiæ de rebus civilibus dicuntur congenitæ, non ratione actualis connascentiæ; sed ratione connatæ δυνάμεως κειλικῆς. II. *Habitualiter*; & tunc ita rectè definitur ab Aristot. *1*. Eth. c. 23. *Virtus* est habitus animi laudabilis, conveniens ac certam rationem.

54. Pro *Subjecti*, cui inhæret virtus, *duplicitate* dividitur *1. Eth. 13. & 2. Eth. & 6. Eth. 1.* in Διανοητικὴν & ἠθικὴν, *Intellectualem* & *Moralem*.

55. Circa quam Divisionem notandum. Virtutem Διανοητικὴν seu *Intellectualem* directâ

tra-

tractatione tanquam geminum medium, quo ad finem Ethicum directé imus ad Ethicam, non pertinere. Probo: Si habitus intellectuales directè pertinent ad Ethicam, id fiet sub earum consideratione aut *Absolutâ*, quatenus sunt habitus, considerati in suâ naturâ & quidditate; aut *Respectivâ*, quatenus inhærent *Intellectui* tanquam *Subjecto*, quod perficiunt. Non *priori modo*: quia Metaphysica sic eos considerat in *Qualitate*. Neque posteriori modo. 1. quia Ethica non agit de Intellectu, ut de Subjecto horum habituum; sed quicquid agit de rectâ ratione, id tractat de ipsâ, ut normâ dirigente. 2. quia hoc modo ad Pnevmaticam potius pertinent: quippe in quâ considerantur perfectiones intellectus, ad quas & habitus illi referuntur. *Obliqua* autem eorum tractatio in Ethicâ concedenda: estque duplex: scil. ob virtutis moralis declarationem per intellectuales, 1. ratione oppositionis: 2. ratione directionis & descriptionis. Cùm enim natura Virtutum Moralium consistat in Mediocritate, definitâ rectâ ratione, quam ostendit vir prudens: Prudentia autem virtus intellectualis; hujus certè cognitio propter moralem illam directionem erit necessaria. Vide arg. plura ap. *Piccolom. gr. 5. c. 4.*

56, Virtute itaque *Intellectuali* à directâ tractatione remotâ & propter indirectum respe-

ctum ad calcem hujus tractatus rejectâ, *Moralem* considerabimus: quod ut eò commodiùs fiat, in *caussas* ejus inquiremus: cum scire rùm rem quamlibet putemur, si caussas ejus cognitas habeamus. 1. *Post.* 2. & 1. *Phys.* 1.

57 Initium faciemus ab *Efficiente*, quæ duplex: Principialis, *Actio humana*, Mediocritati conformata & *Ministerialis* seu *Adjuvans*, *Ἀφυία* scilicet bona indoles, & *μάθησις* assvefactio & exercitatio.

58 Per *Actionem humanam* h. l. non intelligimus actionum virtutis habitum *sequentem* sed *præcedentem*, quæ inter se non quidem specie; attamen gradu differunt & perfectione.

59. *Actionis* hujus accuratè considerandæ, tum *Divisio*, tum *Principia*, cùm nulla doctrina sit in totâ Ethicâ, quæ ad omnem vitam civilem cognitu magis necessaria esse videatur.

60. Dividitur autem in *Spontaneam* & *Invitam*.

61. *Invita* quidem directè hùc non pertinet; sed reductivè tantùm, prout scil. de *voluntariæ* naturâ participat, vel prout specie oppositorum ad hanc doctrinam referri valet.

62. *Actio invita* aut est *Violenta*, aut per *Ignorantiam*.

63. *Actio invita violenta* est, cujus principium ἔξωθεν aliunde provenit, & extra subje-

ctum

ctum est, ita, ut nil actum istum adjuvet subjectum istud, v. gr. si quem procellæ ventorum ad scopulos appellant.

64. Et illa actio Aristoteli ἁπλῶς *violenta* dicitur: præter quam adhuc aliam adsignat, quam κατά τι vocat, cujus dicit, principium quidem esse externum, sed tamen eum, qui cogitur, aliquid conferre, vel metu mali compulsum, vel spe boni majoris persuasum, v. gr. si coacta in mari tempestate navis exoneranda sit, & jactura mercis facienda. Aliàs dicitur *Mixta*, cùm partim *involuntaria*, partim *voluntaria*. Involuntaria ratione *cogentis*, quod est intra vel extra nos: voluntaria ratione *consentientis* & *eligentis alterutrum*; magis tamen voluntaria, quia facultas & principium agendi in nobis est, nimirum deliberatio, electio, licèt quædam accedat violentia. Vide *Aristot. lib. 3 Eth. c. 1. l. 7. 8. 11.*

65. *Actio invita per ignorantiam* est, quæ ab agente, circumstantiarum quarundam singularium ignaro, culpæ & fraudis vacuo proficiscitur, & subsequentem habet pœnitentiam ob admissum peccatum 3. *Eth. 1. c. 14.*

66. Ubi cumprimis notandum, quòd illa illa ipsa ignorantia debeat simpliciter esse caussa malæ actionis. Multi enim ignorantes agunt, qui licèt in producendâ actione sunt ignari: tamen ignorantia illa non est

præcipua caussa malæ actionis; sed aliud aliquid, quod ignorantiam illam induxit. Hinc *Lothus* cum duabus filiabus rem habuisse dicitur ignorans, non per ignorantiam. Hujus enim caussa erat ebrietas, quæ deceptioni isti filiarum ansam dedit. Si enim sobrius fuisset Lothus, non tam facilè sibi imponi passus esset. *Per ignorantiam* autem agunt, quibus sola ignorantia est caussa malæ actionis. Hæc enim scientiam tollit, prohibituram actum istum.

67. Observanda quoque venit h. l. distinctio inter *Ignorantiam Juris & Facti*. *Ignorantia Juris seu Universalis* (quæ aliàs ignorantia *crassa, affectata & supina* dici solet) est, si quis nesciat simpliciter, quid sequendum sit, & quid expediat: v. gr. an res mala sit scortatio, aut adulterium, aut furari liceat; vel aliàs ignoret universalia ista, an in actionibus nostris ratio sit habenda temporis, loci, personarum. *Ignorantia Facti seu Particularis* est, cùm quædam singulares circumstantiæ, in quibus totius actionis vis est posita, quas ante actionem agens prævidere non potuit, ignorantur. *Circumstantiæ* autem octo ab Aristot. 3. Eth. 1. numerantur, quarum quædam sunt Principales, ut Finis, Objectum, Agens & Actum: quædam minùs principales, ut Locus, Tempus, Instrumenta & Modus: quas omnes nemo,

nisi

nisi fortè insanus (ait *Aristoteles*) ignorare potest.

68. *Spontanea Actio* est, cujus principium est in ipso agente, singulas actionis circumstantias sciente. Principium autem tum dicitur esse in agente, cùm omnis externa vis abest, & voluntas rationi bonum monstranti per se acquiescit.

69. *Spontaneæ actionis Principia* sunt duplicia: 1. Actus intellectûs, *Consultatio*. 2. Actus voluntatis; qui vicissim *duplex*: 1. simplex & dicitur in specie *volitio*. 2. determinatus, & dicitur *Electio*.

70. *Consultatio* est ratiocinatio de mediis, per quæ ad finem in agendo pervenitur.

71. Sub deliberationem itaque cadunt media, quibus ad finem intentum imus: non autem finis, quà talis: quippe qui in deliberationem non venit.

72. Media autem illa ita comparata esse debent, ut in iis vel consequendis vel declinandis humana ratio aliquid præstare posse videatur: siquidem ea, in quibus vel consequendis vel mutandis humana ratio nihil præstare potest, ut sunt præterita, naturalia, fortuita & necessaria, pro mediis assumi, adeoq; sub deliberationem cadere nequeunt.

73. Et ut hæc *media* rectè conquirantur, in consultando tenenda sunt *quædam ante consul-*

tationem, quædam in consultatione, quædam post consultationem.

74. *Ante consultationem* attendendum, tum ut Consultores sint Viri Prudentes, boni & amici; tum ut certus finis præmittatur consultationi, consilia de mediis regens. *In ipsâ consultatione* cogitandum de mediorum numero, qualitate & delectu. *Post consultationem* res ipsa primâ datâ occasione est suscipienda.

75. *Volitio* est appetitio boni vel veri vel apparentis cum ratione.

76. Ubi notandum, quòd quemadmodum bonum duplex est, ita & norma, seu ratio, quæ quandoque firma & solida, quandoque apparens.

77. Hujus *Volitionis* affectio est *Libertas* humani arbitrii, quæ est potentia animi, quâ neq; naturæ instinctu, neque vi sed arbitratu nostro, tendimus ad finem, libereq; aliquid velle vel respuere valemus.

78. *Libertas* aliàs variè sumitur: Nos hoc loco eam sumimus pro libertate à necessitate determinationis seu specificationis liberæ actuum singularium ad utramque partem contradictionis, sive qua homo posito objecto & omnibus requisitis indifferenter se habet ad utrumque oppositorum videlicet agere vel non agere.

79. Pertinet ad *Intellectum* tanquam fon-

tem, principium, fundamentum, & partem dirigentem: Ad *voluntatem* verò tanquam ad usum & partem exsequentem. *Forma* itaque libertatis reperitur in voluntate tanquam in propria sede.

80. *Electio* est appetitio præmeditata eorum, quæ à nobis fieri possunt.

81. Hæc quamvis magnam cognationem habeat cum actu volendi simplici seu volitione; differunt tamen ita, ut *electio* præcipuè sit occupata in mediis, & quidem talibus, quæ fieri possunt, quæ ad nos pertinent: *Volitio* autem finem præcipuè respiciat, & occupata sit etiam circa ea, quæ fieri non possunt, imo quæ ad nos non pertinent, sed aliena sunt.

82. Tandum de *causa efficiente* Virtutis principali, seqvuntur *adjuvantes causa*. Et quidem 1. *εὐφυΐα* s. bona corporis temperatura, quæ quidem non universaliter & adæquatè ad mores facit, sed tamen particulariter, dum scilicet honestarum rerum scintillas animis inferunt, admonitione adhibitâ flatu levi in flammam sui excitari experientia probat. Ad quam *εὐφυΐαν* vis cœlestis concurrit, consequenterq; ad velle nonnihil facit. Qui quidem concursus non fit directè, neq; ad voluntatem interius pertingit, nec ipsam disponit ac instigat; sed concurrit indirectè & exte-

riûs, inclinando juxta occultum in temperatura influxum.

83. 2 *Assuefactio & Educatio*, quæ oritur tum à disdiplina bona domestica, tum è fideli institutione.

84. *Causa Finalis* Virtutis est εὐδαιμονίας consecutio, quæ ipsi adscribitur, non tanquam principaliter operanti; sed tanquam Medio seu Instrumento.

85. Porrò quod causas internas Virtutis attinet, illas hæc tanquam habitus non agnoscit; unde loco materiæ in ejus *subjectum & objectum*, loco formæ in *formalem rationem* inquiremus.

86. *Virtutũ formalis ratio* ex sententtia Aristotelis est μέσον s. μεσότης πρὸς ἡμᾶς, id est, quoad nos s. personæ *lib. 2. ad Nicom. c. 5.*

87. Nam *Medium rei* (æque distans ab utroque extremo, quemadmodum novenarius numerus à sex & duodecim) per se huc non pertinet tanquam propria ratio virtutis; siquidem non competit soli nec omni Virtuti. Dico autem *non per se ad virtutem requiri*; quia quando illa (μεσότης) in quibusdam reperitur virtutibus, id tantum per accidens & contingenter fit; videlicet quatenus conspirat cum mediocritate rationis, ceu fit in justitia commutativa, in qua Arithmetica proportio observatur. *Medium* autem *personæ* hic propriè atten-

attenditur, quod probo ex modo oppositionis, qui in virtute non est semper secundum æqualem distantiam à suis extremis, cùm uni extremorum sæpe vicinior; alteri verò remotior secundum proportionem Geometricam v. g. Liberalitas non æquali intervallo distat à prodigalitate & avaritia.

88. Est autem *Medium personæ s. Geometricum*, in quo servatur eadem ratio majoris termini ad medium, & medii ad extremum. Sic sex Medium est inter quatuor & novem; sicut enim senarius numerus est quaternarij sesquialtera proportio: Sic novinarius est senarij sesquialtera, id est, sicut senarius continet quaternarium in se semel integrè, & adhuc ejusdem quaternarij dimidium; sic Novenarius continet senarium semel, ejusdemq; senarij dimidium, ternarium scilicet: Et hoc est illud medium, quod, quemadmodum antea dicebamus, à virtute servatur.

89. Respicit hæc Mediocritas *rectam rationem ut formam dirigentem & præscribentem* quid quodvis loco sit conveniens & mediocre: propterea rectam rationem in sua adæquata consideratione non excludit, sed potius includit, ita ut & nomen ab ea sortiatur, dum dicitur Mediocritas rationis, quia consistit in moderatione rectæ rationis.

90. *Subjectum Virtutis primariò est Voluntas; secundariò Appetitus sensitivus.* Cum enim Virtus omnis moralis nil sit aliud, quàm proximum proximum principium rectè agendi; agat autem propriè & principaliter id, quod primò movet. Secundariò verò quod movet motum ab alio, dicimus virtutes morales omnes ejus præcipuè appetitus perfectiones, qui actionem bonam producit, eò quòd illam imperat, & secundariò tamen ejus, qui istam producit, quanquam imperanti promtè obtemperat. Et licet *Aristoteles* multis in locis appetitui sensitivo tribuere videatur virtutes morales, dubium tamen non est, quin simul & in voluntate eas positas esse velit, ut ex ipsa definitione virtutis constat, ubi dicitur, quod sit habitus προαιρετικός.

91. *Objectum* Virtutis constituunt *Actiones & Affectus humani lib. 2. ad Nicom. cap. 2. & lib. 3. cap. 1.* quos circa extrinseca objecta, ut sunt Honores, χρήματα occupatos moderari debet; Ita tamen ut consequenter circa ipsas voluptates & dolores versetur: si enim Virtutes (sunt verba *Aristotelis lib. 2. Nicom. c. 2.*) circa actiones & affectus sunt, & omnem affectum, omnemq; actionem sequitur vel voluptas, vel dolor, idcirco & virtus circa voluptates & dolores versatur.

92. Sunt autem *affectus* juxta *Aristotelem* 2. *Rhetoricorum c.* 1. Motus appetitus sensitivi cum voluptate & dolore.

93. *Affectus* sunt vel *boni* vel *mali*.

Boni ex objecto bono, jucundo apprehenso.

Mali ex malo & ingrato objecto oriuntur.

Boni affectus sunt, *Lætitia* & *Spes*.

Mali partim *simplices*, ut *Tristitia* & *Metus*; partim *Compositi*, ut *Ira*, *Odium*, ἐπιχαιρεκακία.

94. Affectuum horum *perpetui comites* sunt *Voluptas & Dolor*.

95. *Voluptas* est operatio non impedita promanans ab habitu, qui est secundum naturam. *Dolor* est operatio ad id, quod est contra naturam declinandum impellens.

96. Et hæc breviter de Causis.

Opposita Virtuti sunt *Vitia* tum excessum tum defectum involventia.

97. Et illa *oppositio est privativa* (cùm unum dicat negationem alterius in subjecto habili) & quidem vel *medii & extremorum*: vel *extremorum inter se invicem*: vel *extremorum simul sumptorum contra Medium*.

98. Ubi cumprimis nota, quod *Extrema* fortius pugnent invicem, quam cum medio; & quidem per *repugnantiam* non *absolutam* seu respectu bonitatis & malitiæ (sic enim utrumque

que malum, Virtus autem bona) ac ab ipsis in hoc puncto magis discrepat: sed per *comparatam*, seu respectu similitudinis & dissimilitudinis excessus & defectus. Sic enim cum à se magis distent, magis colluctantur invicem, quam cum medio.

99. Quibus omnibus absolutis facile patet, quomodo *Virtus sit definienda*. Retinere autem possumus definitionem *Aristotelicam*, quæ ita: *Virtus Moralis*, est habitus electivus ad mediocritate, ad nos consistens: quæ quidem Mediocritas ratione præfinita est, atque ita, ut prudens præfiniret.

100. Porro *Virtus Moralis dividitur in perfectam & imperfectam*; quæ tamen potius est *dispositio*, quam habitus, unde *semivirtus* dicitur.

101. *Perfecta Virtus* cernitur in gubernatione affectuum vel *corporis* (hinc est *Fortitudo & Temperantia*) vel *animi*, tum circa *res externas* (hinc est *Liberalitas*, *Magnificentia*, *Modestia*, *Magnanimitas*) tum in *conversatione*, appareatque partim in *actione* (hinc est *Justitia & Mansuetudo*) partim in ipsa *familiaritate*, ut est *Affabilitas*, *Urbanitas*, *Veracitas*.

102. *Fortitudo* est Virtus mediocritatem servans circa metum & fiduciam.

Objectum hujus Virtutis constituunt *Pericula*, quæ sunt vel *audenda* vel *formidabilia*,

adeo

adeo ut duo illi affectus contrarij *Metus* & *Confidentia* constituant *internum* quasi *objectum*.

103. *Formidabilia* sunt duplicia, alia ὑπὲρ ἄνθρωπον supra hominem, quæ nimirum majora sunt, quàm ut possint aut debeant ab homine sanâ mente prædito contemni, ut sunt ea portenta & extraordinaria prodigia, quæ Dei iram manifestè denunciat. Alia sunt κατ' ἄνθρωπον secundum hominem, quæ quamvis ab homine sustineri possint non tamen omnia respicit fortitudo. Metuuntur enim etiam à bonis omnibus *infamie*: Impudens est, qui eas flocci pendit, vid. *Arist. lib.13. cap.6.* Sunt etiam hujus generis, quæ metuere & non metuere liberum est, nisi nostra culpa accersantur, ut *Paupertas*: *Exilium*, sed quam animosè etiam hæc quis perferat, non tamen propriè sed κατ' ἀναλογίαν fortis dici meretur.

104. *Extrema fortitudinis* sunt *Timiditas*, (Metus, Ingnavia) & *Audacia*.

105. *Timiditas* est vitium, quo quis metuendo modum excedit, & deficit in confidendo.

Audacia vero est vitium, quo plus quàm par est quis confidit. *Arist. 2. Ethic. cap. 7.*

106. *Fortitudo* est vel *Bellica* vel *Domestica*. *Hæc* est, quæ in adversis, prosperisq; rebus animum præstat immotum: *Illa* verò quâ mortem

tem bellicam honestè oppetere vir fortis non dubitat.

107. Ubi observetur *Fortitudinem bellicam esse optimam.* Ratio est, quia virtus circa χα-λεπώτατα cumprimis versatur; jam verò maxime terribilia difficilime sustinere valemus. Sunt autem ea *Mors* & *præsentia mortis pericula.*

108. Præter hanc veram fortitudinem datur adhuc *Apparens*, quæ impellimur ad pericula subeunda apparente aliquo & specioso nomine.

109. *Fortitudo Apparens* vel est *Civilis* vel *Militaris*, vel *Iracunda*, vel *Fiduciaria*, vel *Inscia*.

101. *Civilis* est, quàm Leges à singulis civibus in propugnanda patria propositis præmiis & pœnis exigunt.

Militaris (Experimentalis) est, quæ militem ob experientiam & spem prædæ in periculis adeundis intrepidum reddit.

Iracunda est, quam ira vel odium ad vindictam sine certo consilio excitat.

Fiduciaria est, quam externa præsidia in periculis prævisis propter spem certam animo conceptam excitant.

Inscia est, quæ ex ignorantiâ periculi orta eô usq; progreditur, donec se imparem adversis viribus sentiens mortem magis, quàm ignominiam metuens in pedes se conjicit.

111. *Temperantia* est virtus mediocritatem

observans circa voluptates corporis, quæ gustu & tactu percipiuntur.

112. *Objectum* constituunt *corporis voluptates*, juxta sensum aliquem exteriorem ei competentes: & quidem *propriè & potissimum* juxta sensum *tactus*; *secundariò* juxta sensum *gustus*: siquidem Temperantia non est circa delectationes gustus, nisi in quantum gustus est aliqualiter tactus quidam.

113. Ubi insuper & hoc notandum, illas Voluptates corporis non esse intelligendas ratione *totius* corporis, sed saltem *certorum membrorum*; Gulæ, oris & pudendorum.

114. Extrema Temperantiæ sunt: in Excessu *Intemperantia*; in Defectu *Stupiditas* ἀναισθησία, stupiditas in aspernandis omnibus voluptatibus.

115. *Species Temperantia* sunt duæ *Frugalitas* (in gulâ) & *Castitas* in venere moderandâ occupata.

116. *Frugalitas* subdividitur pro alimenti duplicatione in *Abstinentiam* & *Sobrietatem*.

117. *Abstinentia* est frugalitas in moderato cibi usu. *Extrema* habet in excessu Voracitatem; in defectu, nimiam abstinentiam à cibo.

118. *Sobrietas* est frugalitas in moderato potus usu. *Extrema* ejus sunt Ebrietas & nimia potus requisiti aversatio.

119. *Castitas* est temperantia in venere mode-

moderandâ, cujus *extrema* sunt; Libido & Veneris omnis detestatio.

120. *Libido illa* est vel *interna* cogitationes spurcæ, libidinosi affectus; vel *externa*; obscœni sermones, amplexus lascivi, concubitus cum objecto illicito.

121. *Liberalitas* est virtus mediocritatem servans in pecuniis modicis dandis accipiendisque.

122. Liberalitatis *objectum* datur partim *Internum*, quod est intra hominem liberalem. Estq; hoc loco *cupiditas nummi*: partim *externum* χρήματα, quæ sunt omnia ea, quæ nobis usui esse aut nummis æstimari possunt. Ubi notandum per *nummos* hoc loco non illos *signatos* intelligi, quibus in emendo & vendendo utimur; sed *omnes res & possessiones*, quarum dignitas nummo æstimatur, ex hominum instituto 4, *Ethic. cap. 1.*

123. Ut autem liberalis circa hoc objectum rectè versetur, omnes *circumstantiæ* tum in *dando* tum in *accipiendo* observandæ sunt.

124. In *dando* attendat (1) *seipsum*, ut videlicet det libenter, non gravate juxta illud: *poster. ad Corinth. 9. v. 7. & Ecclesiastici 35. v. 11. & 12.* (2) *Personam accipientem*, ut illa sit digna & indigna, indigens nostro auxilio. Hinc nonnulli Ethici censent, & improbis succurrendum esse, si scilicet 1. indigentes, & cum ma-

magnis calamitatibus conflictentur. 2. Si spes emendationis elucescat. 3. si absq; reipub. detrimento fieri possit. Aliis improbis non dandum est: scilicet 1. illis, qui sunt validi & non indigent nostro auxilio, 2. Contumaces, ut non cogitent de emendatione, 3. Exitiosi Reipublicæ.

(3) *Quantitatem*, ut scilicet pro facultatibus dantis & pro dignitate ac necessitate accipientis facultates distribuantur. (4) *Qualitatem*, ut scilicet beneficia accipienti prosint, noceant nemini; Item ut sint honesta beneficia & propria bona. (5) *Tempus*, ut scilicet dentur beneficia tempore justo & citò. (6) *Locum*, qui & honestatis præscripto mensurandus, ut scilicet honoris gratiâ collata beneficia fiant palàm; Egestatis sublevandæ gratiâ, privatim. (7) *Finem*, qui non est spes lucri, nec amor gloriæ, sed honestas.

125. In *Accipienda* liberalis cavebit, ne aliunde accipiat, quam unde debet, utq; honestis rationibus, quæ dantur, comparentur.

126. *Opposita* Liberalitatis sunt ἀσωτία *Prodigilitas* (modum in nimium dando & parum aut inhoneste accipiendo violans) & *Avaritia* ἀνελευθερία, vitium in nimium accipiendo, retinendoq; modum violans.

127. *Prodigalitatem* facimus partim *simplicem* quam jam definivimus, partim *mixtam*,

quâ ab aliis per injuriam auferuntur, quæ donantur.

128. *Prodigalitate* adhuc deterior est *avaritia*: scilicet propter inæqualitatem illati damni. Siquidem avarus omnibus nocet; Prodigus verò quibusdam benè cupit & facit.

129. Ab hac virtute differt non tantùm *gradualiter*, seu secundum magis & minus, sed *specie*, quamvis illa specifica differentia non sit exactissima. Quæ enim differunt *objecto formali, extremis, fine*, illa magis quam gradualiter differunt: Quod probare possumus 1. *quoad objectum formale*, quod in *Liberalitate* sunt mediocres & privatæ divitiæ, quibus sufficit persona privata; In *Magnificentia* autem sunt Divitiæ majores & publicæ, quæ requirunt personam publicam, *juxta Aristotelem* 4. *Polit*. 2. Jam verò *publica & privata* differunt specie & si non *Physice* & in suâ naturâ; tamen *Ethicè* & *Moraliter*, dum Ethici in his objectis non tàm attendunt magnum & parvum (quod materiale saltem hic est) sed *publicum & privatum*, quod formale Ethicè constituit. (2) quoad *Finem*: siquidem Liberalis spectat, ut prosit & opituletur singulis, qui indigent: Magnificus verò non tantùm erga alios, sed & erga seipsum exercet suam magnificentiam, dum extruit magnifica ædificia. (3) quoad *Extrema*; quod per se patet.

130. Ubi

130. Ubi ſtatim in limine notandum terminum *Magnificentiæ* hîc non ſupponere pro *dignitate quadam*; quo ſenſu Rectores Academici vocantur Magnifici (Nam hujusmodi Magnificentia ſpecies quædam honoris adeoque concomitans potius ſpecialis cujusdam finis politici, quàm virtus ſeu Medium practicum cenſetur) ſed pro *magnorum ſumptuum qualitate moderatrice*, peculiari medio, quo ad S. bonum practicum perveniendum.

131. Eſt itaq; *Magnificentia* mediocritas in magnitudine ſumptuum ſervans decorum honeſtatis gratiâ.

132. Magnificentiæ *Objectum* duplex eſt: vel ſumptus ipſi, vel opera magnifica (in quæ ſumptus fiunt) quæ vel *Publica*, ut Templorum extructiones, Theatra, Pontes; vel *Privata*, ut Nuptiæ, ſplendida convivia, propriarum ædium ſplendidarum extructiones.

133. In utroque objecto obſervandum eſt *Decorum*: & quidem 1. in ſumptibus, cum ſcilicet illi conveniunt & perſonis & operibus. *Perſonæ*, quæ ſumptus faciunt, debent conſiderari primò ratione *fortunæ*, ut ſunt divites. 2. ratione *ſtatus & dignitatis*, ut Perſona magnifica ſit generis ſplendore excellens, & in dignitate conſtituta. 2. *In operibus*, quando ſcilicet opera perſonæ & ſumptuũ magnitudine reſpondent. Opus enim Magnificum

ita comparatum sit, ut nemo iisdem sumptibus perfectius & splendidius opus facilè efficere queat. In quo si peccatur, neque opus Magnificum, neque persona magnifica dici potest, tum quia superari ab alio facilè poterat in eodem genere, tum quia decorum non servat.

134. *Extremum Magnificentiæ* in excessu est *Luxus*, in defectu *Sordes*.

135. *Luxus* βαναυσία est vitium in sumptibus magnis modum excedens. Quod contingit tripliciter. 1. Ratione *formæ* & *modi*, quando sumptus magni fiunt contra decorum. 2. *materiæ* & *objecti*, quando res & magnæ facultates impenduntur in res futiles. 3. *Finis*, quando solius ostentationis gratiâ sumptus magni profunduntur.

136. *Sordes* μικροπρέπεια est indecora & intempestiva parsimonia in necessariis operibus vel exstruendis vel conservandis.

137. *Magnanimitas* est Virtus in magnis & debitis honoribus expedendis vel contemnendis mediocritatem servans.

138. *Objectum* Magnanimitatis potest constitui duplex: 1. *Generale*, quodvis magnum in rebus & actionibus humanis, quodq; animum requirit magnum, & constituitur in Ethicis, quod est in unaquaq; virtute magnum. 2. *Speciale*, Honores magni.

139. Offi-

139. *Officij* Magnanimi ſunt [1] *Appetitio* honorum legitima, quæ ſit 1. *moderata*, ut appetat moderatè honores non tanquam res planè novas & inſolitas, ſed tanquam debitum virtutis ſuæ. 2. *Proportionata* 1. ſuis factis virtuoſis, 2. ſtatui publico, id eſt, in quantum ſtatus & bonum publicum vel admittunt vel expoſcunt [2] *Conſideratio circumſtantiarum* diligens magnanimus enim non debet eſſe temerarius, ne feſtinatione nimia circumſtantias illas perdat.

140. *Magnanimitatis Extremum in exceſſu* eſt Superbia; (quæ vel ſtulta & ruſtica ſeu inepta Bawrſtoltz. 2. jactabunda & Aulica Hoffſtoltz) *In defectu* Puſillanimitas.

141. *Superbia* eſt vitium in magnis honoribus modum excedens: *Puſillanimitas* contrà eſt vitium in magnis honoribus deficiens.

142. Ab hac virtute differt (non *quidem ſecundum magis & minus* ſaltem; ſed) *formaliter*: quorum utriusq; probatio ex liberalitatis & Magnificentiæ indole peti poteſt.

143. Eſt autem *Modeſtia* Virtus, quæ in modicis & dibitis honoribus mediocritatem ſervat.

144. Eſt in appetitu *inhæſivè*, In verbis *συμβολικῶς & repræſentativè*.

145. Objectum conſtituunt minores ſ. mediocres honores.

146. Officia ejusdem sunt duo: Honores appetere, consectari, boni consulere, tueri, sed ut oportet. 2. Eosdem aspernari, declinare, omittere, fugere, abjicere, quando id honeste fieri potest.

147. *Extremum* Modestiæ *in excessu* est, Ambitio, φιλοτιμία (vitium in modicis honoribus modum excedens) & *in defectu* Abjectio animi, ἀφιλοτιμία. vitium in modicis honoribus etiam debitis appetendis deficiens.

148. Justitia est constans & perpetua voluntas, suum cuiq; tribuendi.

149. Vocabulum illud sumitur *dupliciter*: 1. *Generaliter* pro universâ erga Legem obedientiâ; dum quis præstat id, ad quod obstistrictus est *Deo sibi*, *&* *proximo*; Dicitur aliâs *Justitia Universalis* (quæ quidem non species est virtutis; sed sub se comprehendit omnes virtutes, atque ab his saltem *ratione* differt, quemadmodum Totum à suis partibus. 2. *Specialiter* pro ea virtute, quæ alteri reddit, quod ei reddendum sana dictitat ratio: Dicitur aliâs *Justitia particularis*, & jam modo definita fuit.

150. Definitur per *Voluntatem* non *simpliciter & abstractè* & formaliter; sed *concretivè* per voluntatem constantem & perpetuam. Illa nudam facultatem animæ; hæc verò eandem habitu præditam importat. Ut enim

con-

constans & perpetua sit, hoc non nisi ab habitu virtutis habet. Et hac ratione per habitum *concretivè* declaratur: Quod quidem non incongruum est, quia accidentia ut plurimum mentione sui subjecti determinari solent, quemadmodum inde quoque suum esse habent.

151. Quod ulterius in definitione apponebatur, *Justitiam tribuere suum cuique*, illud intelligendum respectu illius, cui tribuendum; non respectu tribuentis; cum virtus sit bonum ἀλλότριον (*lib. 5. Eth. cap. 3.*) quod alteri commodo est.

152. *Duplex* est illa *Justitia*: *Distributiva* & *Commutativa*, quæ differunt tum *objecto*, tum *ratione proportionis*, quam tenent. *Distributiva* pro objecto habet res, quæ sub distributionem cadunt, id est, præmia & onera publica, seu omnia, quæ cuipiam debentur, quatenus est membrum alicujus communitatis. *Commutativæ objectum* constituunt commercia, permutationes, contractus, per quos intelligimus non modo veros contractus, & quasi contractus, sed & omnes obligationes, tam quæ ex delictis, quam quæ ex quasi delictis nasci dicuntur. Ab *Aristoteles* 5. *Ethic.* 2. dividuntur commutationes istæ in *voluntarias & invitas*. *Voluntariæ* sunt, quando utrinque est animus commutandi, aut con-

trahendi, qualis est Emptio, Venditio: *Invita* ubi commutatio fit una parte invita, sicut est Furtum, Rapina.

153. In *Commutativa Justitia* tenenda est *proportio Arithmetica*; In *distributiva Geometrica*: Quod sic ostendo: Omnis justitia consistit in rerum æqualitate. Æqualitas illa vel *ex personarum dignitate* æstimatur (non si omnes *idem* accipiant; sed si *idem proportione*, seu secundum quid;) sicut fit in *justitiâ distributiva*: vel *simpliciter ex rerum ipsarum modo & mensura*; qualis proportio in commutationibus spectatur. Hæc enim non super personarum dignitate, sed nuda adæquatione delicti & pœnæ fundatur. Attenditur igitur hîc tantum eatenus quatenus persona delicti pœnam aggravat vel elevat.

154. Est autem *Arithmetica proportio* æqualitas differentiarum, quando nempe æquali differentiâ numeri inter se distant, ut in suis numeris *2.* 4. *6.* 8. ubi differentia semper est binarius.

155. *Geometrica proportio* est æqualitas rationum, quando plurimum terminorum inter se comparatorum eadem est ratio. Hujusmodi est analogia est in his numeris *3*, *6*. *12*. 24. 48. Ubiq; eadem ratio est, & quidem dupla. Jam fiat applicatio. Quemadmodum in Geometrica proportione, non differen-

tiarum

tiarum sed rationum æqualitatem spectare oportet; Ita etiam in distributionibus ratio habenda est dignitatis personarum, quibus aliquid tribuendum, & pretii rerum, quæ distribuendæ; ita ut dignitas rerum conferatur cum dignitate personarum, ut una alteri congruat, & æqualia æqualibus contingant, neque res indifferenter distribuantur.

Sic quemadmodum *in proportione Arithmeticâ*, ad distantiarum solummodo æqualitatem respicitur; sive numeri exigui sint, sive magni: Ita etiam in *Justitia Commutativa* ad rerum solum permutandarum (nullâ habitâ personarum ratione) æqualitatem attenditur ut ipsi permutantes utrinque æquales habeant partes.

156. Ex his jam facilè constabit nobis de naturâ justitiæ distributivæ & commutativæ. *Illa* est, quæ in distributione rerum externarum pro ratione dignitatis personarum & æqualitatis rerum singulis tribuit: Hæc est quæ in contractibus & rerum commutatione nullo habito personarum respectu eam servat æqualitatem, ut suum quisque consequatur, & nulla pars defraudetur.

157. Ubi adhuc 2. notanda (1) quæ hic mediocritatis ratio, (2) ad quamnam justitiæ speciem pertineat pœnarum inflictio.

158 Mediocritatis ratio in hac virtute mul-

tum differt, ab ea, in quâ consistunt virtutes cœteræ, ut patet ex 5. *Eth.* T. 60. Nam cum illæ omnes (virtutes) obtineant medium inter duo extrema distincta & duas contrarias actiones, quarum una modum simpliciter excedit, altera deficit; Justitia inter duo extremá talia interjacet, quorum utrumque est in una eademq; actione. Et hæc Extrema sunt *Plus* & *Minus*. V. gr. Qui defraudat alterum una actione & modum excedit, quia plus sibi sumit quàm par est: Deficit, quia minus quàm oportebat, alteri relinquit. 2. *Medium reliquarum virtutum* est medium rationis tantum; *Medium justitiæ* etiam rei.

159. *Pœnarum inflictio* non pertinet ad justitiam Distributivam cum pœnæ non sint ejusmodi res, quæ sub distributionem cadant; nec *proportione Geometricâ* irrogari possint, ut eruditissimè demonstrat *Dn. Hornaus in Ethic. pag.* 501. *& sequentibus.* Quamvis enim in inflictione pœnarum habeatur ratio personæ & dignitatis: plarè tamen illud per accidens fit, cùm Geometrica proportio per se eam spectet: Hæc enim simpliciter fundatur super comparatione personarum & præmiorum: Arithmetica non super personarum dignitate, sed nudâ adæquatione delicti & pœnæ. Illic igitur per se attenditur persona; Hîc per accidens, sive eatenus tantùm, quatenus persona

na pœnam aut delictum aggravat, vel elevat, ac delicti magnitudinem eò rectius intelligendam. *Uno verbo*: Respectus ille personarum in inflictione pœnarum non pertinet *directe* ad eam, nec dicere possum, primariò infligi pœnas Arithmeticâ proportione, secundariò Geometricâ, sed pertinet tantùm ad cognitionem & æstimationem quantitatis delicti & pœnæ ut adæquationem rectè inveniam, & postmodum juxta illam pœnas infligam. Ministeriales itaque tantum partes agit hîc proportio Geometrica, non vero ipsum infligendi actum vel primariò, vel secundariò ingreditur.

106. A *Justitia* promanat JUS (non pro lege seu Legis præscripto sumptum, sed pro justo facto & actione justa, non præcurrente virtutem justitiæ; cum hæc actio adhuc imperfecta sit; sed eam sequente, & perfectionem ex justitiæ habitu accipiente.

161. Juri opponitur Injuria, juris violatio, à volente alteri invito illata: quæ involvit uno titulo duplex extremum, ut supra dictum.

162, Juris moderatrix est *Æquitas*, & quidem moderatrix, non destructiva, sed perfectiva; dum scilicet determinat & applicat, habitâ circumstantiarum ratione, indifferentiam & generalitatem juris, quod moralem hujus per-

perfectionem involvit. Vocatur quidem *juris correctio*, non ac si in lege recte instituta sit defectus: sed quia generaliter tantum sancit, nec in specie propter negotiorum & circumstantiarum varietatem quicquam constituit. *Æquitas* igitur hic succurrit, & in specie exponit, quod generaliter lege est sancitum. Unde à Jurisconsultis definitur per Moderationem & benignam juris interpretationem.

163. *Extrema Æquitatis* sunt ἀκριβοδίκαιον Strictum jus, & συκοφαντία Malitiosa juris interpretatio, fraudandi gratiâ instituta.

164. *Mansuetudo* est virtus, quæ iræ in vindicando & puniendo modum imponit.

165. *Objectum* ejus est 1. *Internum & Immediatum* quod est intra ipsum mansuetum: Estque tum Appetitus irascendi, tum ipse affectus iræ. 2. Externum, Injuriæ, convicia, vindicta.

166, *Forma Mansuetudinis* (ut & reliquarum virtutum est Mediocritas quam ad 4, capita revocat *Aristoteles 4, Ethic. cap. 5. lib.* 1, *Magnorum Moralium cap.* 15. (1) Ob quæ irasci liceat, ob justas scilicet causas. (2) Quibus irasci fas sit; improbis scilicet & sceleratis, qui scientes & volentes admisere culpam & nulla ducuntur pœnitentiâ (3) Quomodo irasci oporteat: Ne scilicet simus lenti & frigidi: neq; nimis præcipites & obstinati. (4) Quando & Quam-

Quamdiu: Scilicet Abstinendum ab Ira, si de rebus seriis capienda consilia: Si nos hilares præbere velimus: Si pœnis afficiendi sontes.

167. Virtutis hujus *duæ* sunt *species*: *Clementia* [iram licet justas habeat causas, moderans, & pœnas à reis mitiores exigens] & *Severitas*, quæ est, quæ quibus, propter quæ, quâ ratione, quando & quamdiu par est, irascitur, injurias repellit, &, si opus, pœnas exigit.

168. Mausuetudinis *Extrema* sunt *in excessu* Iracundia (vitium irascendo modum excedens) *in defectu* Lenitudo s. Stupiditas vitium, quando non irascimur; etiamsi possimus, aut certè justam Iram non persequimur.

169. *Iracundia* tres habet species. 1. *Excandescentiam*, quâ subito & irascimur & placamur. 2. *Amarulentiam*, quâ tardè irascimur, sed diu iracundiam conceptam fovemus. 3. *Crudelliatem*, iracundiam pertinacem & apertam.

170. *Affabilitas s. Humanitas* est Mediocritas circa obleationes & offensiones in conversatione non ludicrâ, seu in communione sermonum, & actionum, quæ ludicra non est.

171. *Objectum* ejus est, Seria communicatio actionum, & quidem illarum, quæ in sermonis usu sunt oblectamento, Uno verbo: *Affabilitas* sermonem jucundum moderatur *non externum* (quippe qui tantùm signum est externum Affabilitatis] *sed internum*.

172. Ex-

172. *Extrema* sunt *in defectu* Morositas, quâ ne in honestis quidem rebus, cuiquam placere studemus (quale vitium erat in *Timone* μισανθρώπῳ, qui omnium hominum congressus vitabat; *In excessu* Assentatio, studium placendi vitiosum quo præter honestatis rationem iis, quibus cum conversamur in omnibus placere conamur. Tale vitium fuit in *Nicesia*, qui videns muscas Alexandri frontem pungere, exclamavit: O quanto aliis sunt feliciores muscæ, quibus gratia facta est, Regii tui sanguinis gustandi.

173. *Urbanitas* est virtus in ludis & jocis mediocritatem servans.

174. *Objectum* itaq; constituunt Ludi & Joci, honesti scilicet & Liberales, qui non tantum oblectationis & sapientiæ sale conditi, sed & personis, locis, & temporibus accommodati sunt.

175. *Extrema* ejus sunt, & quidem *in excessu* Scurrilitas (vitium, quo proferuntur joci pungentes, id est, qui sale Momi condiuntur, innocentibus suspicionem vitii sermonum involucris obtrusi causantes] & Rusticitas in defectu, vitium in ludis & jocis deficiens, quo nec ipsi proferre nec aliorum jocos licitos & jucundos perferre valemus.

176. *Veracitas* est virtus, per quam rem, ut se habet, proferimus & indicamus.

177. *Objectum* ejus est *Verum moraliter consideratum*, quod dicitur Convenientia cordis & oris s. vitæ, orta ex objecti æquâ consideratione. Harmonica convenientia debet esse inter signum illud morale externum, quod est cùm *verbale* sermo, vox, tum *reale*, quod sunt mores, Gestus s. vita nostra.

178. Opponitur veritati *Mendacium*, quod dupliciter potest considerari: 1. in genere, 2. in specie. In Genere consideratum Mendacium dividitur *in impropriè dictū*, quod constituunt *officiosum & jocosum Mendacium*, & *propriè dictum*, quod dicitur Perniciosum.

179. *Perniciosum Mendacium* est, quando studio nocendo dicimus aliquid, quod scimus falsum esse, vel id, quod dici debuit, depravamus.

180. *Officiosum* mendacinm est occultatio, quâ ob causam honestam, alteriusque utilitatem vel tegitur aliquid, quod dicere non est necesse, aut cujus manifestatio spontanea esset pecccatum: vel figuratè aliud significatur, quâm verba sonant.

181. *Jocosum* est, cum salsè & lepidè delectationis causa, circa tamen ullius perniciem fingimus ea, quæ non sunt. *Officiosum & jocosum simul* est illud *Philippi Macedonis*, qui vocatus ad cœnam, cum plures secum adduceret umbras, & postmodum hospitem turbari sentiret,

eiret, quod tam multis non sufficeret apparatus; inter cœnandum. qui aderant unà, misit puerum eos submonentem, ut aliquid loci servarent placentæ. Illi placentam exspectantes parum comedunt: Ita factum, ut apparatus omnibus sufficeret. *Plutarch. in Appoth. Regum & Imperat.*

182. Ubi notetur hic Canon: *Omne mendacium est perniciosum, & quicquid ejusmodi non est, peccatum non est.* Tantum enim abest, ut *jocosum & officiosum* sint Mendacia, si illud jocosum; hoc officiosum revera & moraliter sit; sin Mendacia sunt, ut potius contradictionem in adjecto committat, qui eadem mendacia nuncupat, cum omne officiosum & jocosum [quod scilicet ratio officii, vel negotii morali- poscit,] sit honestum, & idem de jocoso sit judicandum, quoniam scilicet aliqua Homileticarum virtus, aut aliquis virtutis alicujus Homileticæ actus sit.

183. Ubi ulterius *notandum*, illum qui falsa dicit, non statim Mendacio se obstringere; tum enim non est mendacium, nisi tantum *materialiter*, cum Mendacium *formaliter* tum fit, si quis, contra quàm novit rem se habere, enunciat, atq; adeò voluntatem falsa dicendi habeat.

184. *Mendacium* in specie consideratum est *duplex*: *Excessus*, Arrogantia, & *defectus*, Dissimulatio.

185. Ar-

185. *Arrogantia, Jactantia, Ostentatio*, est mendax affirmatio, quâ plus quàm ipsa res dicimus: & fit vel ob meram vanitatem, vel gloriæ cupiditatem: Contrà *Dissimulatio* est mendax negatio, quâ minus, quàm ipsa res est, dicimus. Interim tamen *tolerabilior est Dissimulator, mendace & arrogante*, cùm civilius sit sua extenuare, quàm efferre.

186. *Virtutes has* excipit *Perfectissima virtus*, aliàs *Heroica* dicta, quæ non differt *specie* à populari & simplici virtute: quia utrobiq; sunt paria principia interna, objectum, actus, personæ; sed saltem *externo splendore* seu in paritate præeminentiæ, quæ nascitur vel ex impulsu divino aliquo, vel ex mirabili tendentiâ ad aliquem finem.

187. Est autem *Virtus Heroica virtus*, divinitus quibusdam hominibus concessa, ad expediendum ea, quæ aliàs vulgaribus viribus humanis expediri nequeunt: qualis virtus in Abrahamo fuit, Jacobo, Mose, Josuâ, Samsone, Alexandro Magno, Cyro, Aristide, Carolo Magno, Carolo V. Aristotele, Platone, Scaligero, Luthero, &c.

188. *Extrema* sunt, & quidem *in excessu* Feritas (vitium summum & extremum, quo homo rectæ rationis judicio planè excusso omniq; humanitate abjectâ turpissima quæq; perpetrat, à quibus aliàs ipsa natura humana

abhorret: Quale vitium fuit in *Herode*, infantes innocentes crudeliter trucidante: In *Nerone*, propriæ matris ventrem resecante, & locum, ubi delituisset, expetente, Senecam Præceptorem ad necem compellente: *Caligula* &c.) *In defectu* verò Ignavia summa ineptitudo ad omnem virtutis impetum.

189. Et tantum de *perfectâ virtute*, & *perfectißimâ*! Proximum est, ut explicemus virtutem *imperfectam*, quæ per *ἀναλογίαν* saltem virtus, animum excitans & disponens ad virtutem perfectam. Unde potius *Dispositio* dicitur, quam potentia, propterea, quia potentia quasi indeterminata est, & sine actu sumitur. Ast hujusmodi dispositio illam ad certam contradictionis partem aliqualiter inclinat, imo quodammodo ipsum actum ponit.

190. Virtutum harum *duæ* sunt:

Continentia & *Tolerantia*.

191. *Continentia* est virtus imperfecta, qu[a] inordinati affectus omnes, inprimisque ali[-]menti & Veneris rectæ rationi reluctantes in[-]viti subjiciuntur.

192. *Continentia dupliciter* supponit. (1) p[ro] *Habitu perfecto Temperantiæ*, & quidem 1. tota[-]li, id est, pro totâ Temperantiâ versante circ[a] alimentum & Venerem, adaoq; pro frugalita[-]te & castitate, quæ est species Temperantia[e.] Neutra suppositio hîc locum habet, (2) *pro ha[-]bit[u]*

bitu imperfecto quo bonum & rectum eligimus in oblectamentis, sed cum pugnâ internâ sensuum.

193. *Extremum Continentiæ in excessu* est Incontinentia; in *Defectu* nomine caret.

194 *Incontinentia* est vitium, cum in affectibus aliis, tum in gula & Venere modum excedens, ita ut quodammodo à pravis cupiditatibus invitò ad peccandum pertrahatur.

195. Est *duplex*, *Præcipitantia*(quâ subitò per imprudentiam ab affectu validiori ad delinquendum abripimur) & Infirmitas, qua aliquamdiu pravis affectibus restitentes, tandem succumbimus.

196. *In defectu* est extremum, cum quis voluptates adeò aversatur, ut ne propter honestam voluptatem aliquid laude dignum suscipiat.

197. *Toletantia* est dispositio proba, qua res adversas & laboriosas cum quodam dolore honestatis gratia perferimus.

198. *Objectum* ejus est dolor, qui ex absentiâ voluptatis percipitur.

199. *Extremum* ejus *in excessu* est Durities (modum excedens in adversis, quo quævis sine honestatis ratione perferimus) *In defectu* Mollities in adversis *deficiens* quâ nullas planè molestias aut dolores honestatis gratiâ perferre volumus: & est *duplex*, vel Insita, vel quæsita.

200. His Dispositionibus nonnulli addunt *Obedientiam* quæ est Dispositio laudabilis implendi ea, quæ à prudentioribus præscripta sunt, honestatis & decori gratiâ.

201. *Objectum* ejus constituunt Mandatum superioris legitimi, cui obedientia debetur.

202. Tandem aliquid adjiciendum de *Virtutibus Intellectualibus* quæ juxta *Arist*, 6. *Eth. c.* 3. sunt habitus, quibus anima affirmando & negando verum enunciat.

203. Et illi habitus sunt partim *Contemplativi* ut Intelligentia, Sapientia, Scientia; partim *Practici* ut Prudentia & Ars.

204. *Habitus illi Contemplativi* sunt, quorum principium est in ipsis rebus, ut tum demum perfecta sit nognitio, si rebus adæquetur, *Practici* sunt, quorum principium est in agente & faciente.

205. *Intelligentia* est virtus speculativa, quâ prima principia, quæ medio & caussâ carent, absq; medio & caussa cognoscimus, cognoscenda illis credimus, firmiterq; assentimur.

206. Sunt quidam, ut *Durandus. Medina, Capreolus & Valentia*, qui putant hunc habitum esse *naturalem*: verùm nos potius facimus cum *Conimbb. & Svaretzio*, asserentes, habitum hunc principiorum, æquè atque alios *acquiri*. Videatur *Suaretz in Metaph. tom.* I. *disp.* I. *sect.*

1. sect. 4. num. 15. D. Hornejus in Eth. p. 538. & 559. & D. Jacobus Martini in Partit. Metaph.

207. *Sapientia* est virtus speculativa constans ex intelligentiâ & scientiâ rerum præstantissimarum. *Conditiones ejus facit sex Arist. l. 1. Met. c. 2.* 1. Versari circa omnia. 2. circa difficilima, atque sensibus remotissima. 3. Habere cognitionem certissimam. 4. Apetitudinem maximam ad doceudum. 5. Dignitatem, ut propter se, sciendiq; caussâ appetatur. 6. Imperium ac dominum in reliquas artes & scientias.

208. *Scientia* est virtus speculativa seu habitus demonstrativus ex necessariis, veris, primis & immediatis.

209. *Ars* est habitus cum rectâ ratione effectivus, i. e. qui efficere aliquid docet optimâ ratione, sicut sutor calceum conficit.

210. *Prudentia* est virtus seu habitus cum rectâ ratione activus; sive qui secundum veram & rectam rationem vivere docet, & agere ea, quæ hanc vitam decent.

211. *Sociæ, Comites, Ministræ*, Prudentiæ sunt: *Perspicacitas*, σύνεσις (habitus rectè judicandi de iis rebus, circa quæ Prudentia versatur) *Sententia*, γνώμη (æqui & boni viri de dictis & factis aliorum, rectum judiciū) *Solertia* δεινότης naturalis ratio excogitandi & inveniendi media ea, quæ ad honestæ actionis finem consequendum faciunt.

212. *Di-*

212. *Dividitur* Prudentia *in Privatam & Communem*, quæ ſubdividitur in *Oeconomicam & Politicam*, quæ partim eſt *Legulatoria* (de rectè ferendis & explicandis Legibus) *Deliberativa ſeu Senatoria* (de futuris Reip. negotiis) *Judiciaria*; de factis prætcritis. Quas diviſiones omnes vide apud *Donaldſonum in Eth. pag. 875. ſeqq. & Hornejum p. 566.*

PARS SPECIALIS CIVILIS PRUDENT. PRIOR.

213. Et hæc eſt *pars Civilis Prudentiæ Generalis* de moribus univerſe ſumtis agens; Sequitur *Specialis* ad ſingularia deſcendens & communia Societatibus, hominum gradibus ac ſtatibus accommodans.

214. *Status hi ſive gradus*, quia in genere duo ſunt: *Oeconomicus* ſc. & *Politicus*, meritò *Specialem* partem in Oeconomicam & Politicam dividimus.

215. Sunt quidem, qui putant *Oeconomicam* eſſe partem vel appendicem *Politicæ*; verùm licet *Familiæ* tanquam primordia ad Civitatem (Politicæ objectum) referantur: eſt nihilominus illa conſideratio reſpectiva, quæ abſolutam non tollit. Imò ante Politicam eſt tradenda, quia *Oeconomica* ordine naturæ & doctrinæ prior eſt *Politicâ* qvatenus ſc. verſatur circa familias, ex quarum multitudine civitas conſtituitur, & ad politicam diſcen-
dam

dam viam nobis planam & expeditam sternit.

216. Est itaque *Oeconomica* Civilis Philosophiæ pars specialis prior, ad rectè constituendam administrandamq; familiam informans.

217. *Finem & Objectum* in ipsis præliminaribus apposuimus, Bonum sc. Civile & Actionem humanam, adeò ut in hac *parte speciali* applicatio & restrictio specialis tantùm superaddenda veniat, quæ *Finem* nobis exhibet bonum domesticum; *Objectum* verò Actiones humanas Familiæ, rem familiarem concernentes.

218. *Familia* est societas naturalis, hominum ejusdem Patrisfamilias imperio subditorum ad usum vitæ quotidianæ instituta.

219. Est vel *Imperfecta*, carens servis aut uxore: vel *Perfecta*, complectens patrem familias, uxorem & servum. *Liberi* enim tantum sunt effectus familiæ, non partes.

220. Hinc oriuntur tres *Societates*. 1. *Conjugalis* (conjunctio maris & fœminæ, ad procreationem liberorum mutuum auxilium & vagæ libidinis coercitionem legitime instituta.) 2. *Patria* (conjunctio parentum & liberorum) educationis honestæ gratiâ. 3. *Herilis* inter herum & servum, in salutem utriusq; in genere humano instituta.

221. *Rei familiaris* partes sunt *distinctæ pos-*

ſeßiones ad Oeconomiam pertinentes, quarum alia eſt *Naturalis* (vel *Animata*, rationalis & irrationalis ; vel *Inanimata*, mobilis & immobilis) alia *Artificialis*, vel continens vel contenta.

222. Porro *Medium*, ducens Finem in Objectum eſt tum *recta Conſtitutio & Gubernatio perſonarum familiam conſtituentium* ; tum *Acquiſitio, Auctio & Conſervatio Poſſeßionum.* De *priori Medio*, Conſtitutione ſc. & Gubernatione Societatum primo loco ; de *poſteriori Medio*, Acquiſitione ſc. &c. poſteriori agemus loco.

223. Pro *Primæ Societatis Conſtitutione & Gubernatione* notentur decem ſequentia : Conſenſus Perſonarum contrahentium, Parentum, Tutorum, Curatorum ante omnia requiritur. 2. Perſonæ contrahentes non debent eſſe nimium propinquæ aut ineptæ ad conjugium. 3. Perſonarum contrahentium tantùm debent eſſe duæ, non plures. 4. Maritus in uxore eligendâ majorem famæ quàm formæ, virtutis quàm dotis rationem habere, ætatis ac conditionis æqualitatem reſpicere debet. 5. Amor debet eſſe mutuus & reciprocus, ſuavis ſine moroſitate, perpetuus ſine faſtidio, ſincerus ſine ſuſpicione. 6. Alter conjugum alterius tolerare debet calamitates. 7. Fides conjugii non frangi debet adulteriis. P. Maritus non ſit γυναικοκρατούμενος,

caveat

caveat sibi á morositate & severitate. 9. Uxor Marito lubens volensq; morem gerat & obsequatur. 10. Non sit garrula.

224. *Pro secundæ societatis constitutione & gubernatione* notanda hæc duo. 1. Liberi á Parentibus nutriendi, defendendi, & in pietate educandi, & tum propriâ, tum Pædagorum operâ informandi. 2. Liberi debent amare & venerari parentes, debent de parentibus honorificè sentire & loqui, egentes debent alere, iisq; , si periclitentur, etiam cum dimicatione & periculo capitis opem ferre.

225. Pro *tertiæ Societatis constitutione & gubernatione* observanda quatuor: 1. Herus eligere debet servos, qui neque nimis timidi sunt naturâ, neque nimis audaces 2. Herus servo debet præbere mercedem, victum & amictum. 3. In servis autem requiritur obedientia, timor, benevolentia & animi promtitudo. 4. Servi non debent esse pertinaces, non fraudulenti & deceptores.

226. *Possessiones* acquiruntur vel *Naturaliter*, hinc habemus Georgicam, Pecuatiam, Fossuram mineralium, Cæsuram lignorum: vel *Artificialiter*; hinc est Mercatoria & Numularia, tam *generalis*, quæ dicitur aliás usura, quàm *specialis*, diciturq; Cambium, Wechsel; hinc est operaria acquisitio tum officialis, tum opificum, tum mercenaria.

227. His acquirendi modis potest adhuc ille addi, qui est *extraordinarius*, extra communem hominum ordinem & usum contingens, qui hæreditatem, dotem, donationem, usucapionem, per lusum, certamen depositi pignoris comprehendit.

228. *Res Familiaris acquisita* est rectè administranda. Est autem *administrandi modus duplex*, juxta *Arist*. 1. *Oec. c*. 6. *Persicus*, cùm necessaria omnia ex agris & fructibus servantur ad usum domesticum & superflua tantùm venduntur: & *Atticus* cum quotannis agrorum fructus venduntur ad conficiendam certam pecuniæ summam.

229. Duplici tandem curâ hic opus est: *curâ* bene *conservandi & tuendi* rem familiarem. 2. Curâ eadem rectè *utendi* tum *δαπανητῇ*, tum *ἐργατικῇ*.

PARS SPECIALIS CIVILIS PRUDEN. POSTERIOR.

230. *Oeconomiam* excipit *Politica pars specialis posterior* Rempubl. constitutione, conservatione, amplificatione, & si collabascat, restitutione informans.

231. *Objectum* & *Finem* totius Philosophiæ Civilis suprà determinavimus: apponenda itaq; tantùm hîc applicatio, quæ *partem Generalem à Speciali* discriminat.

232. Hinc *Politica* pro *Objecto principali &* pro-

proximo agnoſcit ACTIONES CIVITATIS *materialiter & in abſtractione* à Rep. acceptæ, quatenus denotat congregationem Civium per ſe ſpectatam; non autem *formaliter*. Tunc enim ſignificat eorundem ordinationem, quæ formæ rationem obtinet, proindeque idem eſt, quod civium multitudo formâ ſuâ induta, adeoq; Rempubl. involvit. Pro *Fine* autem agnoſcit *Summum Bonum* ad Rempubl. ordinatum, ad quam omnia, Majeſtas ſubditorum officia & Claſſes, Leges, Educatio, & id genus alia, reducuntur.

233. Eſt autem *Reſpubl.* ordo Civitatis & quidem Magiſtratuum ſeu Imperiorum quorumcunq; præcipuè verò poteſtatis ſupremæ, à qua per Magiſtratus medios in univerſos ſubditos regimen fluit.

234. *Ordo* ille, ut apparet eſt inter *Imperantes* & *Parentes*, dependens potiſſimum ab unâ ſummâ Poteſtate; cùm ea ſit ordinis natura, ut ad unum aliquod primum ceu caput & principium referatur.

235. Et ut hic ordo *bonus* ſit, Politici eſt, videre: ſiquidem ipſi incumbit efformare Rempubl. optimam, ſecundum eam rationem, ſecundum quam novit Reipubl. adornandæ debitam introduci perfectionem.

236. MEDIIS proinde opus eſt: quorum ordinamus quatuor: utpote 1. REIPUBLICÆ

Con

CONSTITUTIONEM. 2. CONSERVATIONEM. 3. AMPLIFICATIOEM 4. si collabatur, RESTITUTIONEM & CORRECTIONEM.

237. CONSTITUITUR Respub. 1. Justâ Formarum determinatione. 2. Partium dispositione. 3. Instrumentorum ordinatione.

238. Iu *determinatione* illâ unicè respiciendum ad Majestatem, & quidem (NB) intuitu numeri Imperanrium. Videmus enim potestatem aliter influere à Majestate unius; aliter à Majestate plurium, unius tamen vicem referentium.

239. Hinc *generaliter & primò* dividitur Respubl. in *Monoaratiam & Polycratiam.*

240. *Monocratia* subdividitur ratione *Qualitatis* in *Bonam* & *Vitiosam*, quorum illa dicitur *Monarchia*; hæc *Tyrannis.*

241. *Monarchia* duæ quasi *species* sunt, *Primaria, Regnum*; *Secundaria, Dominatus.*

242. *Polycratia* est duplex: *Aristocratia* & *Democratia*; quibus opponuntur tanquam *vitiosæ* Respubl. *Oligarchia* & *Ochlocratia.*

243. Et hæc genuina Reipubl. divisio. Adduut quidem alii Rempubl. MIXTAM: verùm possent illo labore supersedere. Si enim statum considerem, nullam agnosco mixtionem, cùm status respiciat Majestatem, quæ ut est incommunicabilis, ita & immiscibilis. Si verò administrationem perpendam, concedere qui-

quidem possum mixtionem, cùm illa respiciat Jura Majestatis, qua ut communicari, ita & suo modo misceri possunt: sed an illa mixtio efficere possit Reipub. novam speciem, etiamsi tantùm respectu administrationis consideretur, valdè dubito. Tantum enim dari mixtionem inter res illas formas, ut incertum relinquatur, quo nomine Respubl. denominari queat, mihi non persuadeo: Imò nec ullum exemplum, ne quidem in Republ. Lacedæmoniorum (ubi tamen insignis mixtio) reperio, cui Reip. mixtæ definitionem, prout ab Autoribus apponitur, applicare possim. Proinde quamvis concedam in administratione deprehendi nonnunquam mixtionem, semper tamen propendere & præponderare puto aliquam partem à quâ tanquam à potiori denominationem accipiat; non secus ac in Physicis aliquis dicitur sanguineus ab humomore prædominante, licèt & reliqui tres locum habeant.

244. Progredimur jam ulterius ad *Formarum seu specierum* ipsarum tractationem.

245. *Monarchia* itaq; est Respubl. in unius legitimâ gubernatione rerum summam constitutam habens.

246. Ex quo consequitur *Monarchiam* inter duos dividi non posse, adeoq: *Dyarchiam* seu *Duumviratum*, *Triumviratum*, &c. ad *Monarchiam* non pertinere.

247. *Regnum* est Monarchia, in qua Rex secundum legem proprium cuique tribuens, omnia in communem subditorum salutem directe administrat.

248. *Regnum* acquiritur vel *Electione* vel *Successione*; *Sortilegio* in tantum rejecto, nisi discordibus eligentium votis duo sint nominati, qui genere, virtute & opibus pares sunt. Tunc enim sorte res decidenda est.

249. Ex quibus (comparate loquendi) *successioni* præferenda est *Electio*, & præsertim temperata; quando scilicet occurrit Regulus administrationi idoneus, ut benemerito Parenti debitæ offerantur gratiæ.

250. Interim tamen monemus Successionem tàm *Hæreditariam* quàm *Gentilitiam* retinendam esse, ubi jam longo usu invaluit.

251. In *Gentilitiá Successione Primogenitus*, etiam patri ante initium Imperium oriundus, habet prærogativam ratione primogenituræ præ reliquis fratribus; quibus & postmodum propter illam prærogativam Filius primogeniti post mortem ejus præfertur.

252. Ex bonis tamen paternis illi Fratres sustentandi, habito dignitatis Personarum respectu.

153. Ubi & hoc porro observandum, in illustribus Familiis *Pacta Gentilitia* esse, ut alterius stirpe exstinctâ ad alterum principatus

certâ successionis lege perveniat. Nostris dicuntur Pacta illa Erbverbrüderung / Erbvereinigung.

254. *Mulieres* ordinariè non sine ratione arcentur à successione ; Quemadmodum & *Spurii* eô jure destituuntur.

255. Dominatus est Monarchiæ forma, ubi non omnia ad salutem communem, nec omnia ad destructionem universalem primariò referuntur ; sed subditorum cura secundariò habetur.

256. *Tyrannus* est Summum Imperium in quo Tyrannus neglectis Dei & naturæ legibus omnia ad subditorum perniciem primariò molitur.

257. *Tyrannus* est vel *in titulo* qui Rempub. sine ullo legitimo titulo vel *electionis vel successionis* invasit, & sic Majestatem alienam injuriâ in se solum transtulit : vel *in Exercitio*, qui quidem legitimè constitutus est, sed tantùm Tyrannicè administrat, omnia in pernitiem convertendo.

258. *Aristocratia* est Resp. rerum summam in Optimatum gubernatione constitutam habens.

259. *Optimates* h. l. dicuntur, quod sint optimi virtute ex omnium numero. Si autem virtute optimi haberi nequeant, ditioribus summam Imperii committere tutissimum est.

260. Opti

260. *Optimatum* horum numerus quamvis non facilè, determinari possit in hac Republ. tamen non facimus cum illis, qui svadent paucissimos constituendos esse.

261. Constituitur alius in locum vacantem vel ab ipsis *Optimatibus* vel à *Populo*. Ubi tamen observandum, periculosum esse in hac Reipub. formâ, electionem concedere populo, tum quia de Optimatibus non rectè novit judicare; tum quia hac occasione Jus aliquod in Optimates sibi acquirit, quo status hic facilè in Democratiam potest mutari.

262. *Vitiosa* Resp. huic opposita dicitur *Oligarchia*, & est, in quâ Optimates publica commoda in privatos usus convertunt. Quâ ratione olim 30. Tyranni Atheniensibus præfecti totam ferè Rempub. pessum presserunt.

263. *Democratia* est Respub. quæ summum jus vel penes omnes, vel penes maximam populi partem constitutum habet.

264. In hac Republ. Universus Populus repræsentantat naturam summi Magistratus, cujus arbitrio jura Majestatis administrantur sive viritim, sive centuriatim, sive tributim, sive curiatim suffragia ferantur. In statu enim hoc Democratico populum in certas Classes distributum esse oportet, ut ex singulis unus vel alter sit, qui totius classis teneat locum.

265. *Vitiosa* Respubl. huic opposita dicitur

Ochlo-

Ochlocratia, quando improba plebs quævis pro arbitrio in Reipubl. detrimentum tentat.

266. Ex *probis Rebuspubl.* absolutè sine ullis loci, ingenii, temporis &c. circumstantiis considerati sea est optima, quæ antiquissima est, quæ justiciam pressiùs ac rectiùs sequitur. Cui rectitudini assequendæ accommodatissima est Monarchia (non tantùm propter consensum in uno firmissimè consistentem; sed & consiliorum silentium, quod in reliquis statibus obtineri vix potest;) & præprimis si administratio ejus sit *mixta*: Tum enim omnes constringuntur legibus, cum è contrario ἄνομος Μοναρχία χαλεπὴ καὶ βαρυτάτη sit.

267. Si autem sint, qui hoc judicio de præeminentiá Formæ Reipubl. contenti esse nolint; in eorum gratiam talem instituto collationem, ut statuam, DEMOCRATIAM esse jucundissimam & quæstuosissimam; ARISTOCRATIAM prudentissimam; MONARCHIAM tutissimam juxta ac, si administratio ejus sit mixta, justissimam.

268. In Reipubl. Constitutione, Formarum determinationem sequitur. 2. Dispositio Partium, quæ sunt Imperantes & Parentes: quorum illos animat & armat Majestas, condecorat Virtus; hos idoneos reddit Obsequium.

269. *Majestas* est perpetua, summa & legibus soluta potestas procurandi, ordinandi & disponendi media illa, quæ ad salutem tùm corporalem, tùm (quantum Magistratui Politico convenit) spiritualem corporis Politici pertrnent.

270. Uti præter requisita essentialia benè est notandus *Finis*, qui non ita est restringendus ad res corporales (quemadmodum faciunt nonnulli Politici) ut res Ecclesiasticæ excludantur: siquidem tam fatè patet Majestas, quam latè patet officium boni Principis, quod sané non tantùm bona respicit corporalia, sed & Ecclesiastica.

271. Porrò *Majestas* est *duplex*: *Realis* & *Personalis*. Illa Reipubl. est coæva comprehensa legibus fundamentalibus, constans permanet, nec per discessum Principis exspirat; Hæc in Personam confertur, cum eâ concidit & ex eâdem in aliam transfertur.

272. *Majestatis* quasi *Effecta* sunt ejus *Jura*, quæ ubicunque ponitur Majestas, poni necesse est; at non ubi illa sunt, & Majestatem poni consequens est. *Ipsa Majestas est incommunicabilis; Jura absq; Majestate possunt communicari.*

273. *Jura* illa sunt vel *Majora* (utpote Potestas ferendi & abrogandi leges, Potestas constituendi Magistratus, Extrema provocatio,

tio, poteſtas Armorum, Jus in Religionem, & Eccleſias; poteſtas in rem numariam, creatiò Ducum, Comitum, Nobilium, Fundatio Academiarum, Legitimatio & famæ reſtitutio: vel *Minora* ut venatio, Piſcatio, Aucupium. viæ publicæ, Flumina, Portus, Fodinæ metallicæ & ſalinæ, incluta Palatia, bona Vacantia Theſauri, Bona naufragio perdita, Tributa, Vectigalia, Angaria, Parangaria, bona Ereptitia & Caduca.

274. *Virtutes Imperantium* ſunt clementia ſeveritate temperata, Eminentiæ & Dignitatis gloria, Præeminentia & Superioritas Virtutum reliquarum, cumprimis Juſticiæ tàm Diſtributivæ, quàm Commutativæ; ut ſcilicet præmia juxta proportionem Geometricam diſtribuat: pœnas verò ſecundum proportionem Arithmeticam infligat.

275. In partium Reipubl. diſpoſitione alterum ordinem conſtituunt *Parentes*, imperantibus & ſummæ Majeſtati ſubjecti, qui alias Subditi dicuntur.

276. Subditorum alii Majeſtati ſummæ tantùm in plerisque obligantur, proindeque duntaxat nonnullis generalibus Juribus & privilegiis Reipubl. fruuntur; alii ſummæ Majeſtati quoad omnia obligantur, pro quo viciſſim omnibus Reipubl. privilegiis & juribus fruuntur.

277. Ad primum genus pertinet 1. *peregrinus*, qui eſt, hoſpes in alienâ Republ. verſans; in quâ nec domicilium habet, nec pars Reipubl. eſt. 2. *Incola*, qui in alienam Rempubl. domicilium ſuum contulit.

278. De utroque nonnulla notanda & quidem in ſpecie. 1. de *Peregrino* illum in Remp. admittendum, eique hoſpitium neutiquam denegandum eſſe [niſi fortè compertum ſit eum Cives pravis moribus de induſtria corrupturum Arcana Reipubl. indubitatò detecturum, aut ſub amico hoſpitis tegumento peſtilentiſſimum hoſpitem præbiturum] : ei publicæ officia non temerè committenda, eum ſi deliquerit, ne ſe ſubtrahat, in Areſto detineri poſſe. 2. De *Incolis*, eos politeuma non habere, ad publicas deliberationes non admitti & Magiſtratum conſiderare debere, quibusnam domicilium concedat, cumprimis quando Judæos recipit, ne ſine certis conditionibus recipiantur & tolerentur.

279. Alterum Subditorum genus conſtituunt *Indigenæ*, ſubditi privilegiis Reipubl. freti & ſummæ Majeſtati quoad omnia ſua obſtricti.

280. *Indigenæ* vel ſunt *Eccleſiaſtici* vel *Seculares*; & hi viciſſi n vel *Nobiles* vel *Plebeji*.

281. *Eccleſiaſticis* circa res ſacras & religionem

nem occupatis primus inter ſubditos locus non injuria tribuitur, cùm non tantum ſint Spiritus in Deo facti parentes; ſed & in terris Dii, ut loquitur *Jacobus VI. Magnæ Britanniæ Rex.* Unde & duplici honore digni habentur maximè.

282. Succedunt *Seculares*, & quidem primo loco *Nobiles* quos latiſſimè ſumimus, complectentes omnes ordines, infra Majeſtatem usq; ad plebejos.

283. Nobilitatis fundamentum facimus *Virtutem* eamque vel generis vel propriam. Illo modo aliquis nobilis naſcitur; hoc demum fit: quando ſcil. talis declaratur conſenſu ejus, cujus nobilitatem ferendi eſt poteſtas: quæ declaratio fit, vel propter *fortitudinem* in ordine Equeſtri & Magnatum, procerumq; in ordine Militari; & propter *Eruditionem* in ordine Literatorum, puta Doctorum & Magiſtrornm.

284. *Nobilitas* evertitur vitæ turpitudine, ſordidarum rerum profeſſione & reliquæ ætatis infamiâ.

285. Nobiles proximè excipiunt *Mercatores*, mercaturam honeſtiorem non ob lucrum primario ſed laborum ſtipendium exercentes: quibus ſubjungimus meritò *Agricolas*, cùm honeſtiſſimus acquirendi modus ſit ex agris.

286. Seqvuntur ordine jam 1. qui *Victum*, 2. qui *Sanitatem*, 2. qui *Legumenta* & alia *Ut onfilia* procurant, 4. qui *Delectationem* movent. 2

787. Hinc habemusi Cerevisiarios, Hospites seu Convivatores, Pistores, Lanios, Coquos, Venatores, Piscatores: Pharmacopæos, Chirurgos, Obstetrices, Nutrices, Parabolanos: Sartores, Textotes, Sutores, Fabros, Netrices, Lotrices, Pellionss, Phrygiones, Alutarios, Plumarios: Tibicines, Pictores, Athletas, Saltatores. Histriones.

788. Extremum & ultimum ordinem tribuimus Carnificibus, Apparitoribus, Lictoribus, Vespitlonibus & similibus.

289. Ad Reipubl. Constitutionem ultimò & tertio loco requiritur ordinario Instrumenrorum, quibus à Superioribus Inferiores reguntur: suntque OFFIALES & LEGES.

290. *Officiales* juvant Rempubl. vel *consilio* unde SENATUS: vel *auxilio*, eoque aut *ordinario*, unde MAGISTRATUS, JUDICES, CENSORES; aut *extraordinario*, hinc LEGATI.

291. Circa *Officiales* in genere notandum, quod singularibus virrutum ornamentis debeant esse condecorari; quòd opulenti egenis præferendi: quòd officia publica sollicite

tè ambientes non facilè admittendi, nisi fortè exploratò constet sceleratorum nefaria molimina, eos retardaturos esse: quòd plures sangvine & affinitate juncti uni & eidem officio non præficiendi: quòd indigenæ officia publica insolenter detrectantes per vim ad ea adigi possint; quòd eorum salaria pro ratione laborum, periculorum, locorum, temporum temperanda sint.

292. Specialem eorum considerationem absolvum sequentia: Senatus est virorum selectorum legitima congregatio, seu cœtus qui Principi suo quomodo Respubl. pacis seu belli tempore administranda sit, consulunt.

293. Et licèt absolutè decernendi & sententiæ pronuntiandæ jus habeat, tamen exequendi jure caret, nisi aliud quoddam officium à Majestate ipsi unà committatur, vel aliud usu receptum.

294. *Senator* in dandis consiliis debet attendere ad bonum publicum: consilium breviter proponens; sententiam strictim dicens; alia quæcunque alacriter expediens; & quando consilium cusum silentium consilio præstans.

295. *Magistratus* est (hîc loci) Officialis Politicus ordinarius fretus potestate & ju-

risdictione, quæ à Majestate ad res gerendas conceditur.

296. *Jurisdictionem* Magistratui volumus collatam quà carere nequit, cùm summæ potestatis vicarius sit, cujus officium repræsentare debet. Quæ jurisdictio nil aliud est, quam potestas de re quâcunque cognoscendi, cognitam judicandi, & judicatam benè exequendi.

297. *Magistratus Politicus* varius est. Alius occupatur in defendendâ salute *totius Politiæ*: alius occupatur circa *Ærarium* & *Reditus publicos*: alius circa *Justitiam* administrandam.

298. Est hæc justicia ita administranda, ut boni præmiis mactentur, mali pœnis mulctentur: non quidem extremo semper rigore; sed æquâ nonnunquam lenitate.

299. Quando hoc loco quæritur à Politicis, an Ambulatorii Magistratus præstent perpetuis, distingvendum esse putamus, tùm inter diversas Rerumpub. formas; tùm inter Magistratus Majores Minoresque; tùm inter ipsa munera faciliora, leviora, aperriora, brevi tempore expedienda & inter ea, ubi consilia non sine periculo communicari possunt.

300. *Judex* & Magistratus Politicus justiciam

ciam & judicium per poteſtatem à Majeſtate conceſſam ſecundum leges & conſcientiam exercens.

301. *Judex* erit Vir *fortis & ſtrenuus*, religioſus, veritatis ſtudioſus, Legum & Juris peritus, liberalis & quæſtui infenſus.

302. Secundum leges ſtrictè judicare debet, niſi ubi aut lex nulla eſt, aut obſcura, aut circumſtantiæ legis rigorem molliunt; tunc enim *æquitas* & conſcientia ſervanda ſunt.

303. *Cenſor* eſt magiſtratus Politicus fortunarum & morum Reipubl. cenſuram habens.

304. *Duplex* eſt ejus *officium*. Primum conſiſtit in æſtimatione & deſcriptione Civitatis, quot cives numero ſint, quanti ætate & fortunis, quales ordine & dignitate: Alterum conſiſtit in emendatione morum.

305. Sed mirum eſt, ubi gentium Cenſores hodie lateant; utinam poſtliminio revocarentur.

306. His affines erant antiquitus uſitati Delatores, qui illicita dicta, factáve ad magiſtratum deſerebant, cujus rei exempla vid. Gen. 37. v. 2. Lev. 5. v. 1. Act. 23. v. 17. 18. 19.

307. Hactenus de officialibus Ordinariis; ſeqvuntur Extraordinarii, ex quibus emi-

nent LEGATI, qui ſunt Mandatarii ſecretiore nomine adPrincipem vel Rempub. miſſi ab eo qui poteſtatem legandi habet, rei agendæ dicendæq; gratiâ.

308. Horum proprietates tùm *ante Legationem*, tùm *in ipsâ Legatione*, tùm *poſt Legationem* conſiderandæ.

309. Quoad Primum, Legatus ſit homo devotus & pius, temperans, fidelis, magnanimus, liberalis, munera non honoris aut benevolentiæ ſed corruptionis gratiâ oblata reſpuens, ſit doctrinâ prudentiâ & experientiâ rarâ, ſit Linguarum peritus, ſit linguâ expeditus.

310. Quoad *ſecundum* Legatus Principis ſui mandatum ſcriptum oſtendere tenetur non facilè à Principis formulâ mandati recedere debet, etiamſi commodiùs, quàm juſſus fuerat, negotium gerere poſſit: niſi mandato clauſula generalis ſit inſerta: Reliqua committimus tuæ prudentiæ & diſcretioni: aliàs ſi præter mandatum aliquid de novo emergens è re Principis eſſe videatur, illicò eum certiorem reddere aliudque mandatum & conſenſum Principis expectare debet: ſit deniq; Modeſtus.

3011. *Poſt Legationem* hæc expendet Legatus: Ea quæ in legatione contigerunt planè

nè secreta habeat : omnia ad essentiam legationis facientia Principi suo fidelissimè renuntiet : Principi ab omnibus separato ea referat.

312. Legatus certa habet *Privilegia* : non potest capi pro repræsaliis : si domi conveniatur dum in legatione fuerit, non tenetur respondere : vacare potesta muneribus publicis, non tantùm in Legatione sed & ad tempus post eam &c.

313. Circa hanc materiam nobilissimæ aliquot *quæstiones* perpendendæ : videlicet; An Legati hostium mandatum scriptum etiam exhibentes sint inviolabiles? An veri Legati, legationem aliò tendere mentientes inviolabiles sint? An privilegia Legatis propter legationẽ concessa ad comites Legatorum etiam sint extendenda? An & non missi Legati Legationis munus obtendentes sancti sint? An Legati speculandi gratiâ missi inviolabiles sint? An si vel ipsi vel ipsis addicti flagitiosum quid commiserint, sancti sint? Tres priores affirmamus; Tres posteriores negamus.

314. Et sic fuit primum *Instrumentum*; sequitur Alterum LEX scilicet, quæ sive sit *Forensis* LandRecht/ sive *Moralis* PoliceyOrdnung/ ad Rempub. constituendam oppidò est necessaria.

315. Estq; jussum à Summa Majestate promulgatum; Nam ante promulgationis terminum, vel antequam promulgatio ejus sciri potuit, non valet.

316. De essentiâ itaq; Legis est promulgatio, non autem scriptio.

317. Legum *bonitatis ratio* danda est; cum necessarium sit Legum accidens. Et quamvis non omnium Legum postquam invaluerunt, ratio reddi possit, nec etiam debeat; antequam tamen promulgantur certis rationibus ex Philosophiâ & Scriptura S. petendis fundandæ sint.

318. *Leges* semel latæ non facilè mutandæ nec abrogandæ: siquidem aliàs non solùm Legislatores sed & subsequentes Leges vili æstimabuntur propter insignem levitatem.

319. Tantum de constitutione primo Politicæ Medio! Sequitur secundum, CONSERVATIO; cujus principia cum coincidant cum principiis constitutionis, breviores hic esse poterimus.

320. Est autem *Conservatio* secundum medium Politicum, quo Resp. quæ cœpit esse, pergit bene esse.

321. Pendet à DEI *Providentiâ*, *Angelorum custodiâ & Humanâ industriâ.*

322. Humana industria inprimis hîc respicit

ctt *1. Ordinationem. 2. Administrationem*, & *3. Defensionem.*

323. *Ordinatio* illa est, quâ in Rep. personas distinguimus in certos status & Collegia seu Sodalitates.

324. *Status* est unio personarum officii civilis gratiâ ordinata.

325. Statuum sunt *tres*, 1. *Ecclesiasticus* (ad quem refertur *Scholasticus*) 2. *Politicus* (ad quem refertur *Polemicus*) 3. *Oeconomicus.*

326. *Collegium* est unio certarum Personarum ad minimum, trium, ejusdem muneris artis, professionis & rerum ad id pertinentium, autoritate Principis nixa. Hinc in statu Oeconomico sunt collegia Mercatorum & Opificum: In Scholastico Professorum & Studiosorum: in Ecclesiastico Pastorum & Presbyterorum; In Politico Magistratuum, Judicum, Consiliariorum, Militum.

327. Collegii finis est S. BONUM cujus promovendi conservandi & augendi causâ Collegæ congregantur. Unde nil ad Resp. continendas stabilius quam societates, sodalitia & collegia tueri. Ideo Solon, & Exemplo Solonis, Numa, Lycurgus & alii, Cives sodalitiis & societatibus devinxerunt.

328. Administratio est medium, quo Cives in officio continentur.

329. Ejus

329. Ejus conſideranda *Norma* & *Forma*.

330. *Norma* eſt Lex, cui conciliatur vis cenſurâ (reſpiciente præmia & pœnas) & Exemplo ſeu bonâ vitâ eorum, qui præſunt.

331. Forma conſiſtit in *Functione* & *Relaxatione*.

332. *Functio* his continetur monitis *1.* ad Magiſtratum pertinet Cura Religionis, ut illam conſtituat & defendat. 2. Magiſtratus ſubditos non debet cogere ad veram religionem ſed præparare. 3. Non poteſt Religionis αὐτονομίαν, i. e. diſſidentium Religionum libertatem permittere: *niſi* (NB) publicis Regni conſtitutionibus diverſitatem Religionum permittentibus; aut impendentis mali maximi & plane inevitabilis periculi metu impediatur. 4. Prudenter inter Hæreticos diſtinguat, qui errant & qui turbant. 5. Bona Sacra & Eccleſiaſtica conſtituat, & conſtituta ne profanet. 6. Ædificia Scholaſtica extrui curet in loco commodo & ornet decenti cultu. 7. Vocet Doctores, qui præditi ſunt *Voluntate* (conſiſtente in fidelitate & diligentiâ) & *Facultate* (conſiſtente in ſcientiâ & experientiâ) exercendi & coercendi juventutem. 8. Leges & Privilegia defendat accuratâ executione; ſtipendia Scholaſtica tempeſtivè perſolvat; Ædificia Scholaſtica ritè reparare

curet,

curet, & Collegia Scholaſtica diligenter viſitet. 9. In Politiâ cuiq; muneri præficiat perſonam aptam & honeſtam. 10. Rationem habeat Jurisdictionis tàm Civilis quam Criminalis. 11. Proſpiciat ſubditis de peritis & fidelibus Medicis & Medicamentis probatis. 12. Accuratam habeat rationem annonæ & veſtitus 13. Educari curet ſubditos in virtutibus Ethicis, Politicis & Oeconomicis.

333. *Relaxatio* eſt laborum & officiorum honeſta remiſſio: eaq; partim *Civilis*, ut ſunt convivia ſolemnia, ſolemnitates nuptiales &c. partim *Militaris*, ut ſunt, ludus gladiatorius, certamen haſtilium, exercitium ſclopetorum & arcuum ſtatis temporibus: partim *ludicra*, ut ſunt Choreæ intra honeſtatis fines cohibitæ &c.

334. *Defenſio* eſt qua Reſp. redditur tuta beneficio tùm Munitionum; tùm Armorum (unde bellum defenſivum & juſtum;) tùm fœderum.

335. Circa Munitiones notandum ſc. 1. illas in finibus potius quàm in mediâ ditione extruendas eſſe, ut ſi quà vis hoſtium externa irrumpat, non intra ditionem, ſed ex aliorum agris hoſtes expugnare eas cogantur. 2. Unicè propter conſervationem Reipubl. illis Principem uti; non verò ad opprimendos

dos subditos, ad exercendam tyrannidem, ad lædendos vicinos debere abuti.

336. Arma vel sunt *minora* (quæ Dactilia dicuntur) ut Gladius, Machæra, Romphæa, Scutum, Galea, Lorica, Sagitta, Sclopetum; vel *Majora* (quæ vectilia dicuntur) quæ apud nos Germanos varijs efferuntur nominibus, Carthaunen / Feldschlangen / Mörser / Petarden &c.

337. *Bellum* sive sit terrestre sive maritimum, quod pro medio bonæ administrationis agnoscimus, absolvitur 1. Fine justo, 2. Actu legitimo, requirente tum aptas personas, (ut sunt 1. Magistratus Militares, 2. Milites in specie sic dicti, tam Pedites quam Equites) tùm ordinem legitimum, qui consistit in militaribus officiis.

338. Fœdera sunt pacta publica & legitima duorum vel plurium Regum & Principum, vel etiam Rerumpub. de mutuis auxiliis aut consimili re quapiam sibi mutuò præstandâ.

339. Circa fœdera notanda sunt cumprimis 1. forma externa, quæ apud varios variat. 2. Subjectum, seu personæ, quæ fœdus contrahere possunt. 3. Objectum, illæ sc. personæ, cum quibus fœdera ineunda.

340. Conservationem Reipublicæ sequitur III. MEDIUM AMPLIFICATIO quâ Resp.
reddi-

redditur magna & potens hoc est populosa & locuples, Volck-Guth-vnd Gelt-reich &c.

341. *Amplificatio* illa fit modis tùm *Internis*, tùm *Externis*.

342. *Amplificatio Interna* fit 1. Populi multiplicatione. 2. Libertatis & Immunitatum concessiione. 3. Territorii elaboratione. 4. Ædificiorum magnificorum extructione.

343. *Amplificatio externa* fit. 1. Alicujus integri territorii emptione. 2. Voluntariâ cessione. 3. Diversarum Civitatum. Rerumpub. Imperiorum unione. 4. Deditione. 5. Expugnatione. & 6. per dotem.

344. Ut autem retineantur sarta tecta illa Imperia per deditionem & expugnationem acquisita observentur sequentia: 1. Novi dominatores auram popularem studiosissimè captent. 2. Nationes acquisitas in Ducatus & Principatus erigant. 3. Linguas, Mores & Leges suas in devictam provinciam disseminent. 4. Colonias deducant. 5. Quidam perpetua amant militium præsidia. 6. *Machiavellus* vult Reipubl. formam planè novam instituendam: quod tamen si sub initium occupationis fiet, difficilè; si progressu temporis (ubi populus jam vires collegit), periculosum est.

345. Ultimum & IV. Politicum Medium est Ruinam minantis & collapsæ Reipubl. *Ca-*

ratio & restauratio, quâ sanantur morbi civiles qui malè afficiunt Rempubl.

346. Ubi duo observanda. 1. Ipse Reip. *collapsus*. 2. *Medendi Modus*.

347. Pro meliori horum cognitione distinguendum, 1. Inter naturalem Reip. infirmitatem & violentam ejusdem debilitatem. 2. Inter *Eversionem* Reip. (quæ est, quando gubernationis forma unà cum populo planè eliditur, extirpatur, aut in ἀναρχίαν degenerat) & *Conversionem*, quando prior Reip. status mutatur quidem; Respub. tamen non penitus interit.

348. *Conversio* illa nequit adscribi 1. Numeris. 2. certæ stellarum positioni. 3. Fato. 4. Conjunctionibus magnis. 5. Cometis 6. Ecclipsibus: sed partim 1. Insidiis plebi structis: partim 2. Libero Imperantium & Parentium arbitrio: partim 3. Bellis internis seu seditionibus, (quæ oriuntur ex certis causis ab Arist. 5. *Polit.* assignatis; videlicet 1. ex honore nimio uni exhibito & reliquis denegato. 2. Nimiis divitiis, vicinorum animos mirùm in modum cruciantibus. 3. Ex validiori potestate Rebusp. concessâ. 4. Ex nimio alicujus in Rep. incremento. 5. Ex metu & desperatione. 6. Potentiorum conspiratione. 7. Hominum in Republ. Viventium dissimilitudine) partim 4. Bellis externis.

349. Co-

349. Cœterum *Modus medendi* reſpicit *Remedia*, quæ (ratione formæ internæ) vel *Aperta* vel *Arcana*)ratione efficaciæ, vel *Præſervantia* vel *Curantia*.

350. *Aperta* ſunt, quando dicta & facta cum Internis cogitationibus conveniunt.

551. *Arcana* ſunt occultæ rationes, ſeu conſilia eorum, qui in Repub. principatum obtinent, præſentis Reipub. ſtatus conſervandi causâ ſuppeditata.

392. Sunt vel *Generalia*, vel *Specialia*.

353. Arcana *Generalia* ſunt: 1. Autoritas eorum penes quos eſt ſummum Imperium. 2. Amor ſubditorum. 3. Juſticia & nulla Dei offenſio. 4. Accurata vicinorum cognitio.

354. *Specialia* reſpiciunt diverſos Rerump. Status & quidem I. Regnum *ſucceſſorium* (ubi hæc obſervanda: 1. Princeps in novis caſibus ſit ſagax. 2. Caveat, ne majorum ſtatuta violet. 3. PatrisConſiliarios retineat. 4. Caveatur nimia unius potentia) II. Regnum *Electivum* (ubi ordines hæc teneant: 1. Ex unâ Familiâ non ſæpe ſumant Reges, niſi prægnans urgeat ratio, & virtus valdè ſit conſpicua, 2. Curetur ut ſine certo Regis hærede, ſine hærede Regni quisq; publicas vires ad ſe trahat) III. *Ariſtocratiam* (quam hæc tuentur 1. Juſta Optimatum potentia. 2. Imperii Pop. lari; omnimo-

da denegatio. 3. Vicinarum Civitatum opitulatio. 4. Minorum Imperiorum ab unafamilia præscriptio. 5. Subditarum provinciarum humana tractatio.) IV. *Democratiam* quam hæc conservant: si nulli nimia aut longior potestas tradatur. 2. si Cives Externam Regum & Principum pompam contemnant. 3. si Cives Principibus non adblandiantur, aut oleum in auriculam illis instillent. 4. si nulli tantum tribuatur, ut ordinarium Reip. cursum cohibere possit. 6. si provideatur, ne omnibus & maximis muneribus Patritii, Familiæque antiquiores præficiantur. 7. si opera detur, ut populo libertas & licentia quàm maximè reticeatur. 8. si præda loca publica, aquæ, venationes nulli ne minimo quidem subtrahantur.

355. *Remedia Præservantia* sunt. 1. Gnava & Sollicita officii accuratio. 2. Legum latarum constantia solida. 3. Magistratuum pietas, prudentia & solertia.

356. *Remedia Curantia*, sunt varia pro varietate morborum. Præcipuè autem notanda illa, quæ adversus seditionem & tyrannidem deterrimam Reip. labem ordinantur.

357. Aliter procedendum post *seditionem paucorum*, aliter post *seditionem universæ plebis*.

358. *Post seditionem paucorum* hac via commo-

dissimè

dissimè itùr: 1. Magistratus allaboret, ut seditio non ab unâ tantùm sed ab utraq; parte extinquatur. 2. A mitioribus remediis (minis, amore patriæ, interpositione publicæ autoritatis) curationis ducetur primordium. Quibus insolenter rejectis 3. duriora (exilia, bella, &c.) adhibeantur. Ubi tamen nota, tutius esse si utraq; pars quàm si altera tantùm in exilium propellatur. Dissuademus insimul hujus negotii expeditionem per duellum, ex quo exoriri posset spurius malæ causæ triumphus.

359. Post *abortam universæ plebis seditionem* hoc modo procedendum est: 1. Homines excellenti virtute & gloriâ Principes autoritate valentes, prudentiâ & ætate grandes, gestisque præclaris conspicui furenti tumultuantium gregi opponantur. 2. Rem non impetuosâ quadam audaciâ, inconsulto fervore aut crudâ violentiâ, sed debitâ modestiâ concinna lenitate decenti suavitate & temperata gravitate aggrediantur. 3. Seditionis autores occultè conquirant, conquisitos arripiant, arreptosq; mellitis promissionibus expugnent. 4. Quod si verò vis omninò tentanda sit, in præcipuos graviùs statuatur, ut ad omnes metus ac paucos pœna pertingat.

360. *In curatione Tyrannidis* distinctè agendum.

dum. 1. Qui in pleno ac legitimo Regno Rex est, à subditis violari nequit; sed ei suspiriis & lacrymis ad Deum fusis est resistendum. 2. Qui solâ administratione Tyrannus est, & re ipsâ alio inferior evertitur perfugiendo ad supremum justiciæ tribunal. 3. Qui magis primus Magistratus, quàm Princeps est, Syndicatroni populi omninò subjacet. 4. Quibus ex lege fundamentali positi sunt custodes, seu Euphori, illi ab his in ordinem rediguntur. 5. Qui certâ lege constringitur, ut principatu exuatur, Ephororum & Populi censuræ traditur. 6. Qui in successorio Regno est, ab agnatis & primogenito officii sui monetur; item à Rege vicino. 7. Qui in populari statu Tyrannidem exercere studet, illi Magistratus adimendus est. Sed hæc Tyrannis ambulatoriis Magistratibus præcavetur. 8. In Aristocratiâ uni Tyranno reliqui Magistratus resistere debent: qui si non sufficiunt, vel omnes degenerârunt, populus ex publicâ autoritate contra Tyrannum procedit.

REGIOMONTI
Impensis MARTINI
HALLERVORDII.
Literis JOHANNIS REUSNERII.

ANNO M. DC. XLIII.



